CONSTITVTIONES SYNODALES

Editæ, & promulgatæ in Diœceſana Synodo Anglonenſi

Ab Illuſtriſ. & Reuerendiſ. D.

FRANCISCO ANTONIO DE LVCA

Epiſcopo Anglonen, & Turſien.

Sub die vltimo Aprilis 1656.

VENETIIS, MDCLVII.

Apud Franciſcum Valuaſenſem.

SVPERIORVM AVCTORITATE.

FRANCISCVS
ANTONIVS DE LVCA
Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia
EPISCOPVS ANGLONENSIS, ET TVRSIENSIS

Amodum RR. DD. Dignitatibus, Canonicis, & Abbatibus, nec non Clero, & vniuerſis Chriſti fidelibus Diœceſis noſtræ Anglonenſis ſalutem in Domino ſempiternam.

CVM noſtri Paſtoralis Officij ſollecitudo requirat, vt attendentes ſecundum Apoſtolicum præceptum vniuerſo noſtro Gregi, vigilemus, & in om-

nibus laboremus, requirentes, iuxtà Ezechielem, quod perierat, vt quod confractum fuerat alligemus, quod infirmum fuerat consolidemus, & quod pingue, & forte custodiamus, ex Sacrorum Canonum, Sacrique Concilij Tridentini præscriptis Diœcesanam Synodum legitimis præcedentibus ædictis congregari iussimus; in qua nostrornm Prædecessorum consultis inherentes cum plura decreta fuerint promulgata, ea typis mandare statuimus, vt omnibus innotescant, atque seruentur, & ad animarum salutem Clerique discipli-

nam,

nam, diuini cultus incrementum, totiusque nostræ Diecesis reformationem magis proficiant. Ea igitur quæ in Vniuersa nostra Diecesi inconcussè obseruari volumus, prompto alacrique animo omnes excipite, vt luceat lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona, & glorificent (non nos) sed Patrem nostrum qui in Celis est, cui sit omnis honor, & gloria in sempiterna sæcula. Amen.

IN-

INDEX TITVLORVM,

Qui in hac Synodo continentur.

De

De

De

De Expurganda Diœceſi ab hominibus quouis modo à Fide aberrantibus.

QVoniam Fides eſt humanæ ſalutis initium, radix, & fundamentum firmum, contrà quod portæ inferi nunquam præualebunt, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; propterea nil magis noſtro Paſtorali Officio conuenire cenſuimus, quam ſimiles homines, qui Catholicæ Eccleſiæ puritati, & animarum ſaluti magnoperè officiunt à noſtra Diœceſi eliminare, & ab internis incurſionibus eiuſdem fidei puritatem intactam ſeruare.

Proindè mandamus, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis; omnibus, & ſingulis Archipręsbyteris, Vicarijs foraneis, Parochis, ſeù Curatis, etiam ſi per modum prouiſionis ad animarum curam ſint deputati, vt omni Studio, & diligentia inquirant,

an intrà fines eorum Parochiæ reperiatur aliquis Hęreticus, vel quouis modo de fide suspectus; & si fortassis (quod Deus non faxit) huiusmodi prauos homines existere adinuenerint, nobis, siue nostro Generali Vicario infrà terminum dierum trium à die habitæ notitiæ denuntiare teneantur.

Ad quam denuntiationem pari modo teneri decernimus omnes, & singulos Præsbyteros, seu Clericos, ac etiam Laicos vtriusque sexus, ità vt qui scienter, & dolosè vt suprà denuntiare recusauerint, seù neglexerint, pęnæ excommunicationis latæ sententiæ subijciantur.

Pro comperto tamen habeant denuntiatores se nullo vnquam tempore publicandos, nè de odio, & inimicitijs dubitari contingat.

Et vt omnibus innotescat, qui sint Hæretici, & de fide suspecti, aliquos casus à sacris canonibus, & Concilio Tridentino decretos patefacere censuimus.

Qui aliter credit de articulis fidei, quam credat Romana Ecclesia.

Qui malè sentit de Sacramentis Ecclesiæ.

Verberantes imagines Sacras, vel in eas lapides, vel immunditias proijcientes.

Contrahentes matrimonium cùm sint voto solemni astricti, vel in Sacro Ordine constituti.

Qui

Qui Missam celebrant carentes ordine Sacerdotali.

Confessarij solicitantes pęnitentes in Sacris Confessionibus.

Detinentes, seù legentes libros Hęreticorum.

Fabricantes pocula amatoria, vel imagines Cęreas, quibus personas cruciant; vel prouocant animum alicuius ad amorem.

Strigę, seù lamię, vel mulieres habentes nomen maleficę, ad quas plures concurrunt pro maleficijs, et superstitionibus, vel pro infirmitatibus sanandis.

Offerentes thura, vel fumigationes Demonijs.

Comedentes carnes diebus prohibitis.

Blasphemantes Sacramenta, Sacram Scripturam, articulos fidei, & Ecclesię determinationem.

Celebrantes super rebus profanis aptis ad faciendum sortilegia, adhibitis nefarijs pręcibus, & verbis superstitiosis.

Obloquentes, & murmurantes contra Excommunicationem, vel factis irridentes.

Baptizantes Creaturas irrationales, vel imagines Cæreas.

Proferentes verba superstitiosa pro inueniendis furtis, vel ad secreta scienda; Et

Omnes qui receptant, fouent, vel auxilium Hæreticis præstant.

De Blasphemijs.

BLasphemia cum pari modo sit contraria Confessioni Fidei, ac diuinæ charitati, & voluntati derogare videatur; & quando in dicendo, & credendo consistit, sit hæresis.

Quo detestabili scelere, & Diaboli laqueo cum multos astrictos ità esse cognoscamus, vt ad tam immane, & atrox peccatum coercendum pæna, ac supplicij terrore à nostra Diœcesi totis viribus eradicare studeamus, & eos præsertim, qui Sacro Sanctum Dei, ac Gloriosissimæ Virginis Matris nomen, ab omnibus Creaturis benedicendum, & summis laudibus extollendum, aut etiam Sanctorum nomen cum Deo regnantium, impuro, & contaminato ore blasphemare, & execrare audent.

Idcircò præcipimus Parochis, seu Curatis, ac Vicarijs foraneis, vt contrà blasphemantes, maximè si blasphemiæ sint hæreticales, inuigilent, ac contrà eos diligenter inquirant, infor-

mationem capiant, & ad nos transmittant sub eisdem pœnis in prædicto Capitulo de Hæreticis impositis.

De Doctrina Christiana.

CV'M initium sapientiæ sit timor Domini, & cognoscentes quod Puerorum ætas, nisi à teneris annis ad pietatem, et Religionem instruatur, de facili ad errores labitur, cum ignorantia antecedat, vel comitetur; aut sequatur peccatum.

Meritò statuimus, et mandamus Parochis, Præpositis, Rectoribus, alijsque Curatis ad quos spectat, vt quolibet die Dominico, alijsque diebus Festiuis ex præcepto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ inuigilent, et omninò curent, vt pueri omnes vtriusque sexus ad sonum Campanæ ad Ecclesiam conuocati, et congregati instruantur, et orationes, et rudimenta fidei doceantur per seipsos; Quas functiones, et pia, ac necessaria exercitia si dicti Parochi neglexerint absque legitima causa, incurrant pro qualibet

vice

vice pænam decem librarum Cęræ albæ locis pijs arbitrio, &c. Si verò fuerint legitimæ impediti per ſubſtitutum adimpleant, alias ſupradicta pœna mulctentur.

Significantes omnibus, & ſingulis quod ſi prædicta fidei rudimenta ignorauerint, ad matrimonia contrahenda non admittentur; Et mandamus Parochis, & Confeſſarijs, vt hos tales à Confeſſione, & ſuſceptione Baptizandorum, & confirmandorum omninò arceant.

De Sacroſanctis Eccleſijs.

CIrca Eccleſiarum reuerentiam cum ſummoperè inuigilare teneamur, & ab illis indecentia remouere: Idcircò monemus omnes, & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles, vt in Eccleſias deuotè ingreſſi capite detecto, ſumpta aqua benedicta, flexis deindè genibus, humilimè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum antè omnia adorent, & illi terga vertere non audeant, ſed pijs orationibus incumbant, caueant ab obſcęnis colloquijs, immoderatis riſibus, profanis cantibus, vociferationibus, negotiationibus, & his ſimili-

bus,

bus, quæ ſub pœnis in Conſtitutione Pij Quinti, & alijs arbitratu noſtro interdicimus; mandantes Parochis ſub eiſdem pęnis, vt nullo modo hæc patiantur in ſuis Eccleſijs.

Acta cauſarum Criminalium, & Ciuilium à Laicis fieri in locis Sacris, & Iuramenta dari teſtibus, ſeu examinari teſtes, vel Inquiſitos, aut offenſos ſub pœna maioris excommunicationis expreſsè vetamus.

Occiſorum cadauera exhumari ad finem recognitionis faciendæ, ſeù in locis religioſis, ſeù extrà, ſine noſtra in ſcriptis licentia ſub eadem pæna prohibemus.

Nuntijs, & Baiulis Curiæ ſæcularis nè citationes tàm cauſarum Criminalium, quam Ciuilium exequantur in locis immunibus, vel notificent Refugis, etiam per affixionem in parietibus Eccleſiarum, ſub eadem Excommunicationis pœna mandamus.

Laicos percurſores Laicorum, aut euaginantes, vel impugnantes arma, ſeu eleuantes manus in locis Sacris, aut percutientes extrà Eccleſiam per vim ab ea extractum, anathematizamus. Si verò Clerici hoc auſi fuerint, pæna ſcutorum Quinquaginta locis pijs, etc. et carceris arbitrio noſtro feriantur.

Mobilia præter Eccleſiaſticam ſupellectilem

in Ecclesijs non reponantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina sub pœna ammissionis eorum, & ducatorum sex sacristis, & alijs permittentibus.

Debitores si cum suis bonis, vel fures cum furtis ad loca Sacra confugerint à Laicis nullo modo expolientur, nec perquisitiones fiant sine nostra licentia sub pœna excommunicationis.

Comędias, & Ludos alearum, & taxillorum, & Vniuersitatum Consilia in Ecclesijs sub eadem pęna prohibemus.

Repræsentationes Sacræ tam intrà, quam extrà Ecclesias absque nostra in scriptis licentia nullo modo fiant sub pęnis arbitrio nostro.

Mandamus nè fenestræ vllæ Domorum priuatorum, & etiam Magnatum in Ecclesijs prospiciant; Nec sint portæ per quas à dictis Domibus in eas detur ingressus, sed si quæ sint infrà mensem sub excommunicationis pœna obturentur.

Scholas Grammaticæ, et Cantus in Ecclesijs, nobis inconsultis sub pęna ducatorum sex, vetamus.

Nemo præsumat quidquam ædificare, aut demoliri in Ecclesijs sine nostro mandato sub pęna excommunicationis.

Nulli

Nulli Laico in Ecclesijs locum proprium habere liceat, etiam prætextu consuetudinis, vel alio Iure; & si fiant sedilia fixa ad vsus proprios, nullum Ius quæratur construentibus; & si ex causa prædicta deuenerint ad strepitus, vel ad contentiones sint excommunicati.

Statuimus nè Laici cuiuscumque conditionis in Choro maneant dum recitantur Diuina Officia sine nostra, vel Vicarij nostri licentia sub eadem pęna.

Sancimus nè picturæ, Altaria, aut sepulturæ in Ecclesijs erigantur nobis inconsultis sub pęna ducatorum decem, alijsque nostro arbitrio.

Capellæ, seu Altaria de Iurepatronatus, quæ sine Dote extant ad hoc, vt eis debitus cultus præstetur de competenti dote infrà mensem prouideantur; & à Patronis ornentur, trasmissio nobis Instrumento Dotationis, alioquin iure suo priuentur; eademque pœna feriantur qui collabentes Capellas non restaurant; Iniungentes Archipræsbyteris, & Curatis, quod Capellas sine Dote, aut Capellano existentes infra mensem nobis denuntient sub pœna ducatorum Viginti pijs locis arbitrio, &c.

Ecclesiarum portæ ab occasu Solis vsque ad

auroram ſint clauſæ, et earum feneſtræ ad recipiendum lumen deſeruientes vitreæ ſint, vel ex tela cærata, ſub pænis arbitrio noſtro.

Parochi, et Eccleſiarum Rectores exules, aut Criminoſos, vel Debitores in ſuis Eccleſijs non recipiant, et ſi ipſis inſcijs ad eas ſe contulerint, vltrà tres dies in illis commorari non permittant, ſed ſtatim nos reddant certiores, vt perpenſa perſonarum, locorum, ac facti qualitate decernamus id, quod Eccleſiæ Immunitati, ac honeſtati, et Sacrorum Canonum diſpoſitionibus conſentaneum erit, ſub pæna ducatorum decem pijs locis arbitrio, etc.

De Altaribus.

ALTARE eſt menſa ſuper quam conficitur auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; vndè præcipimus, quod nihil ſuper eo ponatur, quod ad miſſę Sacrificium, et Altaris ornatum non pertinet.

Lapidea, vel lateritia ſint omnia altaria cum Lapide Sacro in illis inſerto longitudine palmari, et latitudine plus quam ſemipalmari ad capiendum Calicem, patenam, et Pixidem.

Operian-

Operiantur tribus mappis mundis superiore saltem longa vsq; ad terram pertingente, et pallio ante altare ex Serico, vel Corio inaurato, et duobus puluinaribus, et Candelabris.

Habeant Crucem in medio cum imagine Crucifixi, etiam si ibi asseruetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, et tabellam Secretarum, nec non Euangelium Sancti Ioannis separatum, et Baldachinum, quod contegat etiam Sacerdotem celebrantem, et Scabellum tabulis expolitum, ac demum in vno quoque altari sit Icona, seu Pictura in pariete.

In eo Altari sub quo, vel cuius Scabello humata sunt Corpora Defunctorum non celebretur donec nobis consultis alio trasferantur: sed ostium sepulturæ per cubitum distet à scabello.

De Sepulturis, & Exequijs.

OMNI qua debent charitate, & pietate studeant Curati, & Presbyteri mortuorum corpora sepelire, abstinentes ab omnibus, quæ auaritiæ suspitionem sapiunt, & tantummodò, sint contenti solutione solitæ elemosinæ. Pauperes verò, mi-

ſerabileſque Perſonæ gratis, & iuxta Ritnale Romanum, cum Cruce, & luminibus accenſis proprijs expenſis Eccleſiarum humentur; nec vnquam liceat ſine luminibus eos ad Eccleſiam deferre, ſub pęnis arbitrio noſtto infligendis.

Sepelientes Corpora Chriſtianorum occultè extrà Eccleſiam nouerint ſe eſſe excommunicatos; Et qui exhumant Corpora, vt eà ſpolient ex cauſa iuſta, ſiuè iniuſta eamdem pęnam incurrant, ſaluis alijs arbitrio noſtro.

Caueant Archipręsbyteri, Curati, & Pręsbyteri ſepelire eos qui in Duello, vel poſt Duellum moriuntur, etiam ſi oſtenderint ſignum Contritionis, & Sacramenta perceperint, ſub pęna carceris arbitrio. &c.

Interdictos, Excommunicatos, Hæreticos, Hæreticorum fautores, Infantes mortuos abſq; baptiſmo, notorios vſurarios, ſe ipſos occidentes, & eos qui in Paſchate Sacratiſſimam non ſumpſerint Euchariſtiam nullo modo audeant Curati ſepelire, ſub pæna Scutorum Quinquaginta, & alijs arbitrio, &c.

Nullum Cadauer ſepulturæ traditum ex vlla Cuiusuis ordinis Eccleſia aſportari poſſit nobis inconſultis, ſub pæna excommunicationis ipſo facto, & alijs arbitrio. &c.

Cada-

Cadauera non collocentur in Ecclesijs in excelso loco, sed in terram fodiantur adæquato pauimento.

Defunctorum Corpora non sepeliantur, nisi duodecim saltem horis postquam spiritum reddiderint, & repentina morte inuasi ante vigesimam quartam horam, nisi aliter nobis visum fuerit.

Antè solis ortum, & post eius occasum nemo Ecclesiasticæ tradatur sepulturæ nisi aliter necessitas suaserit.

Ad tollendum abusum Mulierum, & ad effigiendos clamores, quibus eędem Mulieres diuina officia perturbant, prohibemus ne vsque ad tertium gradum inclusiuè coniunctæ comitentur mortuorum Cadauera, ad Ecclesiam plorantes, & multa abs re dicentes, & indecentes actus facientes.

Et vt prædicta prohibitio obseruetur Parochi, seu Curati mandent eisdem sub excommunicationis pæna, vt à prædictis abstineant; Et quatenus quouis pacto importunè comitari præsumant, cadauer vltrà non deducatur; nisi ipsis de Domo non exeuntibus; Et si fortè per aliam viam ad Ecclesiam se conferant illas omninò eijciant, aliàs diuinorum celebrationem non prosequantur, imponentes

pænam

pęnam ducatorum Quindecim Parochis, & Sacerdotibus, ſi præmiſſa obſeruari neglexerint, locis pijs arbitrio. &c.

Pro Antiſtite prædeceſſore defuncto in die obitus quotannis celębretur anniuerſarium in Cathedrali, & in Parochialibus, & infra octauam commemorationis omnium Defunctorum fiat anniuerſarium pro omnibus Epiſcopis, Dignitatibus, Canonicis, & Pręsbyteris cuiuslibet Eccleſiæ reſpectiuè; Et ſic etiam in Confraternitatibus pro Confratribus.

De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum.

SANCTORVM cum Chriſto viuentium Sancta Corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & Spiritus Sancti templum, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, fideles ſummoperè venerari debent: Per ea enim multa beneficia à Deo præſtantur hominibus. Propterea Parochi de Sanctorum interceſſione, & inuocatione, Reliquiarum honore, & legitimo

imaginum vſu fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos pro hominibus orationes ſuas Deo offerre; ac illos, æterna fęlicitate in Cęlo fruentes, ſuppliciter inuocare, bonum, atque vtile eſſe, & ad beneficia impetranda à Deo per filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus Redemptor, & ſaluator noſter eſt, ad eorum orationem, opem, & auxilium confugere.

Doceant pariter per hiſtorias myſterium noſtræ Redemptionis picturis, & imaginibus expreſſum erudiri, & confirmare Populum in articulis fidei commemorandis, & aſſiduè recolendis; tum verò ex omnibus Sacris imaginibus magnum percipi fructum, non ſolum quia admonetur Populus beneficiorum, et munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt, ſed etiam quia Dei per Sanctos miracula, et ſalutaria exempla oculis fidelium ſubijciuntur; vt pro ijs Deo gratias agant, et ad Sanctorum imitationem vitam, et mores ſuos componant, et excitentur ad adorandum, et diligendum Deum, ac pietatem colendam.

Non exponantur tamen Sanctorum reliquiæ niſi in feſtis ſolemnibus, vel ſanctorum, quorum ſunt Reliquiæ, et tunc cum luminibus, nec educantur à loculis earum, et antequam

expo-

exponantur thurificentur, & deferantur à Sacerdote ſuperpelliceo, & ſtola induto cum hymnis, & orationibus oportunis; Idemque fiat dum reconduntur.

Caueant præcipuè nè vllo in loco, vel Eccleſia etiam quomodolibet exempta nouæ reliliquiæ recipiantur, & in publicum exponantur niſi nobis recognoſcentibus, & approbantibus. Sic etiam vllę inſolitæ imagines, ſeu Icones, vel nouæ, ni prius iuxtà formam in Rituali, vel Pontificali præſcriptam benedicantur.

Ad Ægrotos non portentur reliquiæ Sanctorum, neque eradantur oſſa, vt raſura detur cum potu infirmis.

Ponantur, & detineantur Sanctorum reliquię in Eccleſijs loco decenti, & in vaſculis argenteis, ſeù ornatis, & ſerico inuolutis; habeaturque ſchedula in qua diligenter ſint deſcripta nomina Sanctorum, quorum ſunt reliquiæ, & antè locum, in quo extant repoſitæ, appendatur tabella cum indice ipſarum Reliquiarum.

De Vita, & Honestate Clericorum.

CLERICOS in sortem Domini vocatos ità decet vitam, & mores suos componere; vt eorum Vita, & exemplum alios ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruant.

Præcipimus idcircò vt se in officijs ecclesiasticis, ac alijs bonis studijs, & artium disciplinis diligenter exerceant, à crapula, & ebrietate abstineant, in officijs, vel commercijs sęcularibus non se immisceant; mimis, Ioculatoribus, & Hystrionibus non intendant, tabernas prorsus euitent, nisi causa necessitatis in itinere.

Vt igitur cum Vitæ, & animi clericalis integritate externus etiam habitus congruat, mandamus quod nemo sine veste talari audeat incedere, præsertim in Processionibus, alijsque functionibus Ecclesiasticis. Breuiores tamen permittimus ad necessariam itineris commoditatem, modo ordinis honestati conueniant; Clerici verò qui ob paupertatem talarem vestem habere non

possunt, breuiorem ferant, ità tamen vt genua cooperiantur. Omnes autem caueant deferre manicas coloratas, aut alias quouis indecenti modo elaboratas, & incisas, sub pæna Scutorum sex.

Proprium habeant superpelliceum, quod nec lacerum sit, nec sordidum. Annulos non gestent, nisi dignitatis gradus, aut officij munus requirat, illumque omninò deponant missam celebraturi, sub eadem pæna.

Sine veste, vel Clericali tonsura incedentes ad pænam librarum triginta Cæræ albæ condemnamus; eademque pæna plectetur, qui comam nutrire audebit.

Qui habitum clericalem semel dimiserit illum nobis inscijs reassumere non præsumat; Quod si quis attentauerit supradicta pæna mulctabitur; quam etiam luet, qui ex nostra Diœcesi absque licentia discesserit.

Arma etiam si sint ad defensionem Sacerdotibus, & Clericis cuiusuis generis prohibemus asportari, etiam itineris causa, sub pæna Scutorum Vigintiquinque; At si cum Pistolis breuioribus, alijsque similibus quis repertus, vel captus fuerit ad triremes per triennium, vel ad Relegationem iuxtà personæ qualitatem condemnabitur.

Ab Alearum, & taxillorum ludis omninò ab-

ſtineant, nec illis intereſſe audeant; Perſonati non incedant, neque noctu vagare præſumant, niſi tamen ſi neceſſitas vrgeat, & tunc cum lumine ſub pæna Scutorum decem.

Fugeant apud ſe retinere libros, qui res inanes, vel impuras contineant, ſed illis delectentur, per quos morum diſciplina, & charitas erga Deum augeatur.

Eccleſijs, quibus ex mandato noſtro aſcripti fuerint, inſeruiant; & omnes tam Sacris ordinibus initiati, quam Clerici qualibet tertia Dominica menſis præuia Sacramentali Confeſſione in Miſſa ſolemni Sacram ſumant Euchariſtiam: Quod ſi facere neglexerint abſquè legitimo impedimento pœnam trium librarum Cæræ albæ incurrant pro qualibet vice; mandantes Curatis, quod contrauenientium notam nobis deferant ſub eadem pæna.

Interdicimus omnibus Eccleſiaſticis cauſarum procurationem, & patrocinium apud Iudicem ſæcularem; nec non tutelæ, ac curæ ſuſceptionem abſque noſtra licentia; nec criminaliter agere in foro ſæculari præſumant ſub pœna ducatorum decem; alijſque arbitratu noſtro.

Negotia, & mercaturas lucri cauſa non exerceant ſub pęna ſcutorum vigintiquinque; alijſque arbitrio noſtro. Pæna verò ducatorum cen-

tum, & carceris arbitrio condemnamus eos, qui ad vsuram, vel alio contractu illicito pecunias dare persumpserint.

Famulatum præstare sæcularibus omninò desistant; & ad opera seruilia, & rusticalia in alienis prædijs facienda non accedant.

Mulieres cuiuscunque conditionis præter coniunctas in primo, vel secundo gradu domi non retineant absque nostra licentia sub pæna ducatorum Vigintiquinque.

Simplices fornicarij puniantur pæna ducatorum decem, & carceris arbitrio nostro.

Concubinarios prima, secunda, & tertia Canonica monitione hac nostra Synodali Constitutione monemus, vt ab huiusmodi crimine se abstineant sub pæna Scutorum Quinquaginta, & carceris arbitrio, &c.

Adulteros ad pænam Scutorum Centum, & carceris arbitrio; Stuprantes Virginem ad dictam pænam Scutorum Centum, cum obligatione stupratam dotandi carceris, alijsque arbitrio condemnamus.

Bannitos non receptent, nec faueant, nec auxilium præstent latronibus, & huiusmodi facinorosis sub pæna ducatorum 200. carceris, alijsque arbitrio nostro.

De Dignitatibus Canonicis, & Capitulis Ecclesiarum.

IN Ecclesijs præsertim Cathedralibus Dignitates ad conseruandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerunt institutæ, vt qui eas obtinerent pietate, ac doctrina alios præcellerent, meritò ad eas vocati tales esse debent vt muneri suo correspondere possint, & ità viuant, & se gerant, vt re, non nomine tantum Dignitates, Canonici, seu Sacerdotes esse videantur.

Prouisi de Dignitatibus, & Canonicatibus nisi infra duos menses à die adeptæ possessionis in manibus nostris, ac etiam in Capitulo fidei professionem emiserint, sciant non facere fructus suos, nec gaudere voce actiua, & passiua in electionibus capitularibus; mandantes quod infrà mensem nos de emissa professione doceant.

Discant Cantum Gregorianum infrà sex menses, & nobis de frequentatione Scholæ, & peritia fidem deferant, alias elapso semestri punctentur; Et idem Sacerdotibus participantibus

ordinamus, alias ad partem non admittantur.

Almutia dum Choro assistunt super humero gestent, suoque stallo insideant sub eadem pæna.

Nobis pontificalia exercentibus, vel Cappam magnam gerentibus omnes Dignitates, & Canonici assistant iuxtà Ceremoniale Romanum.

Non residentes nouerint se omninò puniendos pœnis à Sacris Canonibus, Sacro Concilio Tridentino, & Bullis Pontificijs inflictis; Ideò extrà Diœcesim nulli liceat abesse sine nostra, vel Vicarij nostri licentia in Scriptis, & pro tempore à Concilio Tridentino statuto concedenda, sub pæna ducatorum vigintiquinque pijs locis arbitrio, &c.

Capitulum quoties congregari contingerit de nostra, vel nostri Vicarij licentia si presentes erimus, conuocabitur, & exhibeatur nobis, seu nostro Vicario schedula, in qua, ea quæ in Capitulo tractanda sunt, prænotentur; nec congregetur, nisi omnes Dignitates, & antiquior Canonicus cognouerint quæ erunt proponenda, & expedire iudicauerint, monitis singulis Capitularibus die præcedenti per certum nuntium, & sequenti die dato Campanæ signo, hora competenti, & nondum diuina celebrantur, nisi vrgeat necessitas.

Capi-

Capitulum non antè celebretur, quam per digniorem recitetur VENI SANCTE SPIRITVS, cum Oratione MENTES NOSTRAS.

Singuli suis locis, & ordine sedeant, vnusquisque suam sententiam modestè dicat, alter alterum dicendo non interrumpat; & vt scandala, & odià euitentur, & cuique sit libera facultas ferendi votum, mandamus sub pœna ducatorum vigintiquinque pijs locis arbitrio, &c. quod per Fabas, vel Ciceres, seu lapillos secretò suffragia à quolibet ferantur in posterum.

Sacerdotes, & alios Consortio ascriptos solitos, & consuetos Capitulo interesse, vocemque in Capitulo habere Canonici nullo modo vetent, seu perturbent suffragia ferre sub eadem pœna.

In inuestiendis Ecclesiarum, & Piorum locorum capitalibus congregentur Capitula vt suprà, & proposito venditore dentur vota secreta in duobus Bussolis, nec fiat emptio nisi accedat maior pars suffragiorum sub eadem pœna suspensionis à Diuinis, &c. nullitatis actus.

Eligatur Cancellarius, qui præstito prius Iuramento in manibus nostris, vel nostrorum Vicariorum, omnia à Capitulis capitulariter,

& validè gesta fideliter in Libro Conclusionum describat, eaque à Capitularibus subscribantur, & liber asseruetur in Archiuio Scripturarum Capituli; Et si suo muneri defecerit, pænis arbitrio plectetur.

Prohibemus etiam sub pęna ducatorum Centum locis pijs arbitrio, &c. ne Canonici, seu Capitulum nouas audeant inducere Consuetudines, nec veteres sine nostro consensu mutare, præcipuè in ijs, quæ pertinent ad communem Ecclesiæ vtilitatem, & statum, vel ad nostrum Ius. Omnes verò Consuetudines, seu priuilegia quæ contra iuris dispositionem inualuerunt, & quę fortassis à Prædecessoribus nostris contrà Iuris, & Conciliorum dispositionem concessa sunt, nullius esse roboris, & momenti expresśè decernimus, & declaramus.

De Diuinis Officijs, & alijs Functionibus in Ecclesia faciendis.

CVM bona, & beneficia Ecclesiastica ad diuinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, nè qua in parte diuinus cultus diminuatur, & Deo debitum obsequium prȩstetur in omnibus rebus præcipuè in recitatione Diuini Officij, ad quam tenentur omnes Sacerdotes, & Sacris initiati.

Prȩcipimus idcircò omnibus, & quibuscumque Ecclesijs Cathedralibus, Colegiatis,& Curatis vt quolibet anni tempore statuantur horæ, quibus Campanæ pulsentur ad eos conuocandos, qui Choro interesse debent, & ad Diuini Officij recitationem sunt obligati, ad effectum, vt eadem determinata hora ad Ecclesiam se conferant, & postquam Capite detecto aqua benedicta se asperserint, ac Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum humillimè adorauerint ad Sacristiam accedant, & ibi induantur indumentis

ordini, & Dignitati decentibus; deindè ordinatè, & iuxtà ſolitas, & debitas præcedentias modeſtè, & grauiter ad Chorum pergant, quo ſimul ac omnes peruenerint, dato per Digniorem, vel Hebdomadarium Signo Diuinum Officium incohent, & ad finem deuotè proſequantur.

Ardeant ad Altare duæ ſaltem Candelæ ad omnes horas, & pulſata Campana, & luminibus accenſis, cum conuenerint, qui pręſentes fuerint Officium ad nullius inſtantiam, vel abſentiam differantur.

Omnes concorditer canant, nullus priuatum Officium recitet ſcripturas, aut Libros legat, non dormitet, neque ſtet otioſus, & omninò fugeantur riſſæ, clamores, riſus, & colloquia, & attendant omnes verbis, & Deo præſenti.

Cantus non ſit velox, aut confuſus, ſed cum grauitate clarus, & diſtinctus, ità vt pſalmos, & hymnos, quos Ore canunt interno cordis affectu, atque animi attentione comitari conentur, & præbeant bonorum operum exemplum, non Populo ſcandalum.

Nemo dum celebrantur Diuina Officia extrà Chorum cum Cotta, vel ſine Cotta permaneat, nec egrediatur Officio non Completo; ſed in egreſſu à Digniore licentiam petat, & cauſam exponat, alias punctetur.

Antipho-

Antiphonæ cum intonantur omnes ex vtroque latere ſurgant, & ſemper ſint vniformes in ſtando, ſedendo, & genufleˆctendo; In cæteris verò quæ ad Diuina Officia ſolemniori, vel minus ſolemni ritu celebranda pertinent, Cæremonialis Epiſcoporum tènorem decernimus obſeruare.

Statuimus etiam vt nemo inpoſterum in partem recipiatur, qui præter alia requiſita, quæ in ſuo robore permanere volumus Cantum non calleat Eccleſiaſticum; Cuius Cantus ſcientiam vel ignorantiam cognoſcere, & declarare ſpectet ad Cantores Eccleſiarum, vel Magiſtros Cęremoniarum.

Abolemus inſuper omnes, & quaſcumque Conſuetudines, ſiue ſtatuta cuiuslibet Eccleſiæ, ſiue Parochiæ, quæ prohibent, vt nouiſſimi ad gradum Sacerdotij promoti Miſſam ſolemnem non canant niſi conficiant paſtum Sacerdotibus, & Clero illius Eccleſiæ in qua reperiuntur aſcripti, tamquam repugnantia Sacris Canonibus; & Concilio Tridentino, & vt tollatur abuſus dicti paſtus, eius vice nouiſſimus Sacerdos teneatur ſoluere ducatos tres, qui impendantur pro reparatione, vel paramentis eiuſdem Eccleſiæ.

Pari modo iudicamus tollendas eſſe aſſertas Conſuetudines, quæ nobis irrationabiles viſæ

fuerunt, nempè vt nouiſſimi Sacerdotes, qui Clerici per omnes gradus Eccleſiæ inſeruierunt, ad portiones pro Seruitio Eccleſiæ debitas non admittantur niſi per trienium, biennium &c. Mandantes vt in poſterum poſt ſex menſes in ſocietatem, portionem, ſeù diſtributionem admittantur.

Ad tollendas etiam varias, & diuerſas controuerſias, & lites inter Archipræsbyteros, ſeù Parochos, & Cantores Parochialium Eccleſiarum, in exercitio eorum Officij, & functionum, hac noſtra conſtitutione Sancimus, & pręcipimus, vt ad Archipręsbyteros; ſeù Parochos, qui principatum in Eccleſijs prædictis habent, ſpectet ſtatuere horas, quibus Miſſa Solemnis, & Diuina Officia in Feſtis, & alijs, diebus, & Miſſæ priuatæ celebrari debeant; ſed tamen mandamus, vt quolibet anni tempore horas præcipuè ſtatuant, easque horas denuntient, ſeù potius affigi curent publicè in Sacriſtia.

Ad eoſdem Archipræsbyteros, ſeù Parochos ſpectare decernimus pulſari facere Campanas à Sacriſtis ad conuocandum populum in Eccleſia ad audiendas Miſſas, & Diuina Officia celebranda horis ſtatutis, vt ſuprà, & in Aurora, Meridie, & Veſperi ad Salutationem Angelicam, & prima hora noctis ad Orationem pro

Defun-

Defunctis ; sic etiam imminentibus Procellis.

Ad eodem Parochos , seù Archipræsbyteros similiter spectare eligere Diaconos, & Subdiaconos, qui in Missis Solemnibus debeant canere Euangelium, & Epistolam.

Cantores verò absentibus Archipræsbyteris , seù Parochis eius vices gerant in omnibus, donec à nobis fuerit aliter prouisum.

Ad Cantores (præter præheminentiam, nempè vt sit primus in intonando, quælibet Responsoria) spectat eligere qui cantent, vel desistant in Choro , ac etiam distribuere lectiones , & Prophetias in Hebdomada Sancta à Sacerdotibus, seù Clericis canendas , & denique cum ipsi Missam canunt solemnem Diaconum , & Subdiaconum eligere; In reliquis vltrà non se ingerant; Et ità obseruari decernimus, sub pęna ducatorum Quinquaginta locis pijs arbitrio.

De Magiſtris Cęremoniarum.

CVM Cæremoniarum Magiſtri in Eccleſia conſtituantur, vt ordo qui Eccleſiaſticæ Hyerarchiæ maximè conuenit obſeruetur; propterea illos monemus, vt curent obſeruantiam omnium quæ in rubricis Miſſalis, & Cæremonialis Romani ſunt tradita; & Sacerdotes cum grauitate, & decore functionibus Eccleſiæ vacent.

Omnes cuiuſcumque Dignitatis ijſdem pareant, & ſi obedire recuſauerint teneantur qualibet vice ad pænam ducatorum ſex, & eos iniuriantes etiam verbis puniantur pæna ducatorum Quinquaginta, & Carceris arbitrio noſtro.

De Officio Sacristiæ.

QVIA ad cultum Diuinum, & Ecclesiæ splendorem valdè confert conseruari supellectilia, & Sacerdotalia ornamenta tutiori loco, eademque nitida, & munda custodiri; Idcircò præcipimus vt in qualibet Ecclesia (quatenus non extet) fiat armarium, in quo omnia Paramenta, & reliqua ad Diuinum cultum necessaria, & destinata commodè reponantur, cuius clauis conseruetur per Sacristam, qui sit Sacris initiatus vbi commodè haberi poterit.

Sacrista cuilibet Sacerdoti Missam celebrare volenti vestimenta, & alia necessaria iuxtà temporum diuersitatem, & ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ distribuat.

Non permittat, vt quæ sunt comunia Ecclesiæ, seù ad vsum Ecclesię, & Sacerdotum communiter destinata, alicuius fiant propria, sed omnia conseruentur in dicto armario,& distribuantur per ipsum Sacristam, sub pæna ducatorum decem locis pijs arbitrio, &c. exigenda tùm à Sacerdote controueniente, tùm ab ipsomet Sacrista.

In Sacristia publicè detineatur tabella in qua omnes, & singuli Sacerdotes sint descripti, & eis sit distributum seruitium per hebdomadas, seù Dietas, iuxtà laudabilem Ecclesiæ consuetudinem.

Curet præcipuæ vt quilibet Sacerdos satisfaciat muneri celebrandi missas tàm prò viuis, quàm pro defunctis, & quatenus aliquem reperiat, qui dictum onus non adimpleat, vel ipsemèt Sacrista notet, & punctet, vel referat punctatoribus Deputatis, vt possint punctare, & nos certiores reddere, vt possimus legitimè prouidere, sub pæna ducatorum decem locis pijs arbitrio, exigenda tam à dicto Sacrista quatenus non notet, & punctet Sacerdotem omittentem celebrationem Missarum, quàm contrà ipsummet Sacerdotem.

Pariter in dicta Sacristia publicè detineatur tabella Clericorum Ecclesiæ inseruientium.

Diebus ferialibus in qualibet Ecclesia pro commoditate pauperum extrà Ciuitatem, seù oppida laborantium celebretur Missa summo mane in Aurora.

De

De Processionibus.

PVBLICÆ, & solemnes Processiones ab Ecclesia sunt institutæ, vel ad iram Dei, quam nostra peccata excitant placandam, vel ob gratitudinem, & memoriam beneficiorum ab illo acceptorum; proindè in omnibus publicis Processionibus consuetis, & pro bono publico indictis Præsbyteri, & Clerici omnes interueniant, sub pæna librarum decem cæræ albæ pijs vsibus arbitrio, &c.

Omnes talari veste, superpelliceo, & Bireto induti bini modesté incedant spatio conuenienti inter se disiuncti; mandantes quod constituatur aliquis Sacris initiatus, qui Clerum ad Processiones procedentem dirigat.

Processiones à Cathedrali in Vrbe, & in Diæcesi à Matrici Ecclesia ordinatim proficiscantur, eodemque reuertantur, Campanæ in egressu, & regressu semper pulsentur, & etiam in ijs Ecclesijs per quas transitur, nec fiant de nocte absque nostra licentia.

In festo Corporis Christi fiat Processio de mane, ad quam omnes Regulares, & Confrater-

nitates, & vnusquisque de Clero cum vestibus sui ordinis, & Cæreis accensis accedat; Viæ per quas Processio transibit floribus spargantur Domorum fenestræ, & parietes decenter ornentur, tormentaque bellica in signum honoris laxentur.

Processionem in festo Ascensionis ad benedicendam Ciuitatem, & terras, & Crucem super maiori porta, seù aptiori loco apponendam singulis annis cum solitis Cæremonijs celebrari decernimus.

De Distributionibus, & Punctatoribus.

CVM distributiones quotidianæ, ad cultum diuinum in Ecclesijs augendum, introductæ, jis tantum debeantur, qui Diuinis Officijs pro sui muneris qualitate, inseruientes intersunt, vt assiduitatis ratio percunctetur, præcipimus, vt in Cathedralibus, Collegiatis, & matricibus, seu Parochialibus Ecclesijs constituantur duo punctatores, vnum per nos, seu nostrum Generalem Vicarium, alterum

per Capitulum eligendi, qui omninò inuigilent, & curent notare, & punctare in Libro ad hunc effectum faciendo omnes, & singulos qui in Choro interesse sunt obligati, & tamen non interueniunt; neque sunt presentes horis ad Diuina Officia recitanda destinatis.

Volumus etiam vt dicti punctatores ante Officij susceptionem in manibus nostris, siuè nostri Generalis Vicarij, vel Vicariorum foraneorum fidei professionem emittant, & iuramentum de fideliter, integrè, & nulla personarum exceptione habita Officium suum exequendo præstent.

Officium verò eorum erit non solum absentes, & negligentes punctare, sed etiam eos, qui in ijs, quæ suprà sancita sunt, in Choro deliquerint; Quò verò ad punctorum summam seruetur cuiusque Ecclesię consuetudo.

Nulli dignitatem obtinentes aliquo modo à Diuinorum Officiorum recitatione in Choro, aut exemptos esse, aut aliquo priuilegio, etiam sub prætextu, quod expectari debeant, aut alio quouis quæsito colore distributionibus gaudere se posse præsumant, sed in omnibus pariter, ac alios se obligaos esse sciant, cum Dignitates pietate præcellere, & alijs exemplo esse debeant, & idcircò diligentiores, & frequentiores in Choro

presentes esse teneantur abusibus omnibus, si qui sint in contrarium, quos corruptelas esse declaramus pænitus sublatis, provt disponit Sacrum Concilium Tridentinum.

Quæ predicta si exequi quouis humano respectu neglexerint Punctatores, vltrà pænam periurij, teneantur alijs pænis nostro arbitrio locis pijs applicandis.

Volumus etiam vt dicti puncti nullo modo remitti possint quouis prætextu, etiam si accesserint consensus omnium, & singulorum de Capitulo, sed casu quo Capitulum condonaret, tunc immediate applicentur fabricæ, seù reparationi Ecclesiæ, & Capiutlum, ad pænam dupli teneatur, applicandam, vt supra.

De Parochis.

ARCHIPRÆSBYTERI seù Parochi ad curam animarum vocati, qui Speculatoris Officio funguntur, & de quorum manu salus, & perditio animarum requiritur, ità fideliter, & diligenter Pastorum munus exerceant, quasi non pro se ipsis, sed

pro ouibus ſuis paſcendis illud ſuſceperint, vt in paruis reperti fideles in multis glorioſè conſtitui mereantur.

Proindè ità à Criminibus caueant, vt qua decet libertate laicos, ſeù eos, quorum gerunt curam animarum redarguere valeant, & ijdem laici ſibi non reſpondeant eadem ſe commiſiſse, quæ corripiunt, & ne illud Prophetæ dictum adimpleatur in eis. SACERDOTES DEI CONTAMINANT SANCTA, ET REPROBANT LEGEM, Immò poſſint dicere, & prædicare, Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.

Omnes Parochi habeant Librum, in quo naſcentium, & illorum Patris, & Matris nomen, & ſi ſpurij ſint Matris tantum cum anno, & die natiuitatis deſcribant, in quo etiam Libro illorum Compatres adnotent, ſimilem etiam Librum confirmatorum; Librum familiarum ſuæ Parochiæ; Librum Communicationum; Librum Matrimoniorum, & Librum Mortuorum, inquo mortis diem, & ſepulturæ deſcribant, & an teſtatus, vel inteſtatus deceſſerit, ſub pæna ducatorum decem in defectu cuiuſque Libri.

Excommunicatos ab Eccleſia, denunciatos ſeu notorios ab Eccleſia arceant, ſub pænis à Iure inflictis, & alijs arbitrio noſtro.

Notam in Paſchate non Communicantium, publicorum Concubinariorum, & Coniungum ſeparatorum ſine noſtro decreto, ad nos tranſmittant ſub pœna ſcutorum viginti.

Caueant Curati ſe ingerere in exactione redditiuum Decimarum, & oblationum ſuarum Eccleſiarum, præcipientes quod, per Procuratorem à Clero electum capitulariter exigantur, & per eumdem fiant expenſæ, & rationes, ſeu computa reddantur pleno capitulo, ſeù rationalibus ab ipſo electis ſub pęna ſcutorum vigintiquinque.

Olea Sacra quotannis renouent, & infrà biduum poſt feriam V. maioris Hebdomadæ mittant in Sacris conſtitutum ad illa ſumenda ſub pæna ducatorum ſex; Ordinantes Curatis noſtræ Cathedralis, vt illa impartiantur perſonis à nobis ſignificandis ſub eadem pęna.

In relatione nobis facienda de Baptiſmo, Confirmatione, ætate, & impedimentis ordinandorum ſub vna tantum fide atteſtationem faciant, pro qua non exigant pluſquam carulenos duos ſub pœna ſcutorum duodecim.

In publicationibus exigant vnum carolenum pro qualibet denuntiatione, ſeu publicatione facienda ſub pæna prædicta.

Pro ſententia excommunicationis non reci-

piant

piant ſuprà carulenos duos ; ità pariter pro qualibet fide facienda ; & pro exhibitione reuelationum ſub prætextu præſentata nihil capiant ſub eadem pœna.

Diebus feſtiuis per ſe ipſos gregem ſibi commiſsum doceant fidei rudimenta ; Euangelium illius diei explicent, & omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, præcipuè actum contritionis explanent ; Et quotieſcunque indulgentias publicari oporteat, Populum diligenter inſtruant, pro illis conſequendis.

Non mittant filianos in alias Eccleſias ad ſuſcipienda Sacramenta Euchariſtiæ pro adimplendo præcepto paſchatis.

De Clericis Albanenſibus, ſeu Græcis.

QVONIAM in noſtra Diœceſi commorantur Albanenſes in pluribus Caſalibus, quorum Sacerdotes, & Clerici Ritus à Sancta Romana Eccleſia conſtitutos, habent diuerſos, ritus Græcos obſeruantes.

Præ-

Præcipimus idcircò vt Græci in vnctionibus, quæ circà baptiſmum fiunt morem Eccleſiæ Romanæ teneant, & obſeruent.

Soli Epiſcopi conſignent Chriſmate baptizatos,quia huius vnctiò non debet niſi per Epiſcopos exhiberi, quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, qua confirmatio, vel fontis chriſmatio repræſentatur ſpiritum ſanctum tribuiſſe leguntur.

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod pro infirmis aſſeruatur, ſingulis octo diebus, aut ſaltem quindecim renouetur.

Si Albanenſes velint accipere altaria portatilia ab Epiſcopis latinis conſecrata, bene erit, ſin minus tolerentur eorum thyoni, ſeù throni ſuper altaria lapidea ponenda cum celebrant.

Corporalia vti latini habeant, niſi thyonis etiam pro corporalibus vtantur.

Circà Sacramentum Pænitentiæ in caſu neceſſitatis Præsbyteri Græci poſſunt Latinos abſoluere.

Vtantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſteà ſi voluerint dicant orationem illam deprecatiuam, quam pro forma abſolutionis huiuſmodi dicere tantum conſueuerunt.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel

primo die Menfis benedicta conferuetur in Ecclefia, vt illa fideles afpergantur.

Circa Sacramentum ordinis Græci Albanenfes fine literis Dimifforijs Epifcopi latini Diœcefani ad Sacros Ordines promoti fufpenfi fint; Et fi fufpenfi in fuis Ordinibus miniftrauerint efficiantur Irregulares, ficut & latini; & fuper huiufmodi, & fimilibus irregularitatibus difpenfandi facultatem à Sancta Sede Apoftolica obtinere oportet.

Circa Sacramentum Matrimonij Albanenfes Græci omninò obferuent Decretum Sacri Concilij Tridentini de Reformatione Matrimonij; Quod Decretum Parochus Græcus vertat in linguam Græcam, & publicet, & denuntiet Populo.

Prohibemus ne Matrimonia dirimantur, & quatenus de facto dirimentur, nulla, & irrita declaretur diremptio.

Latina Vxor non fequatur Ritum Mariti Græci; Græca Vxor fequatur Ritum Mariti Latini; Quod fi fieri non poffit, quifque Coniugum in fuo Ritu Catholico tamen manere permittatur; Proles verò fequatur Patris Ritum, nifi præualuerit mater latina.

Circa alia Dogmata omninò dicti Græci Albanenfes obferuent ea, quæ continentur in

perbreui Instructione super Ritibus Græcorum facta de mandato Felicis Recordationis Clementis Papæ VIII. quam instructionem, seu librum habeat quilibet Parochus Græcus.

Beneficiati omnes, vel in Sacris Ordinibus constituti secundum probatum Græcorum Ritum teneantur horas Canonicas recitare, & dum celebrant Sacerdotes non pileum, sed pileolum, quod Birettinum appellant, ex Græcorum consuetudine gestent.

In Missis Epistolam Subdiaconi tantum, & Euangelium Diaconi canant.

In Ecclesijs nullo modo commessationes admittant.

Aduertant Parochi, vt omnes & singuli Dominicis, & alijs diebus festis de præcepto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Missam audiant, & ter in die iuxtà Ritum eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Campanam pulsent, pro recitatione Angelicæ Salutationis.

Confessarij teneantur pœnes se habere Bullam Cœnæ Domini, vel eius summarium, ac notam Casuum à nobis reseruatorum.

Clerici incedant cum habitu, & tonsura, iuxta Consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

De Regularibus.

REGVLARES admonemus, vt in eorum Officio se contineant, vt quæ ad suæ professionis perfectionem pertinent fideliter obseruent, & extrà claustra licentiosè viuendo non vagentur, & omnia, & singula fideliter obseruent, quæ à Sacro Concilio Tridentino statuta leguntur, præcipuè quò ad obedientiam, & reuerentiam quam nobis præstare debent.

In Ecclesijs Parochialibus, seù alijs quibuscumque Ecclesijs Sacerdotum beneficiatorum sęcularium confessiones non audiant, & Missas non celebrent sine licentia ipsiusmet Parochi, seù Sacerdotis.

Confessiones sæcularium nisi fuerint prius à nobis approbati seruata forma Sacri Concilij Tridentini non audiant, nec Sacramenta Eucharistiæ, aut extremæ vnctionis administrent infirmis, & infantulis Baptismi non conferant Sacramentum, nisi in casu necessitatis.

In eoorum Ecclesijs Confraternitates non erigant absque nostra licentia; in quibus nec

audeant concionare abſque noſtra benedictione.

Propoſitiones ſcandoloſas errores continentes, & catholicæ fidei, vel bonis moribus minimè conformes non aſſerant, nec publicè proponant.

Pingentes, ſculpentes, vel pingi facientes Imagines Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum, quæ ſint inſolitæ, aut veſtitæ alio habitu, & forma, quam Catholica Eccleſia conſueuit, punientur.

Ad publicas, & conſuetas Proceſſiones accedant.

Indulgentias à Summis Pontificibus impetratas nobis inſcijs non publicent.

Campanas in Sabbato maioris Hebdomodæ non pulſent, antequam pulſentur Campanę Cathedralis, vel matricis Eccleſiæ.

Reuelationes, & miracula non authentica publicare caueant; Neque audeant exorcizare abſque noſtra licentia.

Cum alicui funeri conuocantur ad Cathedralem, vel Parochialem, ſeu Matricem Eccleſiam accedere debent, & exindè cum Parocho ad Domum, ex qua Cadauer eſt extrahendum ſe conferre..

A Caſibus nobis reſeruatis non abſoluant, ſub Excommunicatione Summo Pontifici reſeruata.

Conſer-

Conſeruatorem ſi elegerint, amplius variare, & alterum eligere non poſſint, & electio nullius ſit roboris, niſi fuerit capitulariter facta, & nobis infrà menſem poſt publicationem preſentis Synodi notificata; Et ſi Conſeruatores cum eiſdem prædictis conditionibus non electi, in Cauſis ſe intromittant per eos geſta ſint nulla, & irrita, ſed Regulares in noſtra Curia ità conueniri debent perindè ac ſi electio non eſſet facta, quacumque conſuetudine in contrarium non obſtante.

De Obſeruatione dierum Feſtorum.

FESTORVM dierum obſeruantia eſt ex tertio Dacalogi præcepto, quod præceptum eſt externus quidam cultus, quem Deo rerum, omnium authori debemus, & quoniam rerum humanarum varijs, & multis occupationibus, & curis diſtracti præpedimur, ità vt non facile diuina pietatis officia prçſtemus, certum, ac definitum tempus

ſtatutum eſt, quo ea commodè obire poſſimus.

Vndè mandamus Archipręsbyteris, & Curatis, quod quolibet die Dominico præcedente denuntient Populo feſta de præcepto cum Vigilijs; Dies verò feſtos de præcepto ſeruari mandamus iuxtà ordinationem fel. Record. Vrbani VIII.

Mandantes vt omnes, & ſinguli ab operibus ſeruilibus abſtineant, iura non reddantur in cauſis ciuilibus, neque criminalibus, niſi in quibuſdam iuxtà diſpoſitionem Sacrorum Canonum, contractus non celebrentur; Iuramenta non pręſtentur; Merces, nec quicquam aliud ad vendendum exponatur, vel aliquid negotij genus fiat, quod à pia feſtorum ſanctificatione fideles retardet ſub pœnis contentis in Bulla Felic. Record. Pij V., & librarum decem cæræ albæ locis pijs arbitrio, &c.

Excipimus tamen ab his venditionem rerum medicinalium pro Infirmis, dummodò, ianuis ſaltem pro medietatę clauſis, vendantur, ac etiam earum rerum, quas victus humani neceſſitas expoſcit, dummodò venditio fiat poſt celebrationem Miſſarum, & cum licentia Vicarij foranei; Qui Vicarij foranei cumulatiuè cum Parochis contra dies feſtos violantes diligenter inquirant.

Mandantes, ſub pœna ducatorum viginti locis pijs arbitrio; dictis Parochis, ſeù Vicarijs foraneis, vt præter caſus neceſſitatis non audeant concedere licentiam opera ſeruilia exercendi, & dies feſtos violandi, & pro dictis licentijs recipere aliquod præmium neque in pecunia, neque in quauis alia re.

Quò verò ad Nundinas nè diebus feſtis fiant prohibemus; Et ſi Nundinæ ſint ordinariæ, & ex antiquata conſuetudine mandamus ſilere ſolummodò durante tempore celebrationis Miſſarum iuxta Decretum Sacræ Congregationis Rituum.

Caueat quiſque executionem facere in diebus feſtiuis ſub pæna excommunicationis.

De Vicarijs Foraneis.

VIGILANTIÆ noſtræ ſtudium, vt in ſingulis Diœceſis partibus adhiberi contingat, cum per nos, ſeù noſtrum Generalem Vicarium vbique præeſſe minimè valeamus; proindè Vicarios foraneos conſtituere neceſſarium duximus, qui diligenter curent vt ea omnia, quæ in his noſtris

Constitutionibus Synodalibus, & Visitationis decreta obseruentur, & de Delictis quæ contrà nostrarum Synodalium Constitutionum tenorem, ac dispositionem Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini per quosvis nostræ Iurisdictioni subiectos committi contigerit, informationes capiant, & processus conficiant, & easdem informationes, & Processus infrà sex dies ad nos, seù nostrum Vicarium Generalem transmittant, sub pæna ducatorum Quinquaginta, & suspensionis ipso facto incurrendæ nobis tantummodò reseruatæ.

Contrà Concubinarios, Vsurarios, ac seditiosè viuentes, & denique de omnibus excessibus, & delictis contrà quascumque personas cuiusuis conditionis, præcipuè contra Parochos in eorum Officio delinquentes, & de omnibus causis ad hoc nostrum forum Episcopale spectantibus informationem capiant, & ad nos, vt suprà transmittant, Officium fideliter agant, nihil omninò capientes quocumque prætextu, etiam à sponte dantibus pro dictis causis sub eadem pæna.

Verum quià experientia docuit ad suspitiones, & factiones remouendas, ac in locis angustis consanguineorum, & affinium affectus tollendos maximè expedire alios adiungere,

proin-

proinde volumus vt Parochi, Curati, & Cantores insolidum ad electionem quærelantium in causis suspitionis Vicariorum foraneorum, & ad voluntatem partium possint omnia delicta inquirere, informationem capere, & Processus conficere iuxtà quærelas à Partibus porrigendas; Inquirent etiam, & Processus, & informationes ad nos transmittant, ac etiam inquirant, & informationem capiant contra dictos Vicarios foraneos, quatenus eorum Officio debitè non fungantur, vel aliqua patrauerint delicta eodem modò, & sub eadem pæna vt supra.

Absentibus Vicarijs foraneis donec aliter à nobis fuerint prouisum in eorum Officium succedat dignior de Clero cum ijsdem honoribus, & oneribus.

De Sacramentis in genere.

PER Sacramenta omnis verò iustitia vel incipit, aut cæpta augetur, vel amissa reparatur; & cum sint res valdè Sacrosanctæ, tractari etiam Sanctè debent; Quapropter monemus Parochos, & Sacerdotes, vt cum omni Sanctitate, & reue-

rentia, absque vlla peccati mortalis macula illa administrent.

Præcipimus, vt in conficiendis Sacramentis Curati, & Sacerdotes adhibeant materiam, & formam iuxtà vsum, quem tenet, & sequitur Catholica Ecclesia, & in partibus essentialibus nullam mutationem faciant, sed in omnibus obseruent receptas, & probatas ab Ecclesia Romana Cæremonias.

Sacerdotes dum conficiunt Sacramentum, vel paulò antè semper excitent, & renouent intentionem perficiendi illud, & faciendi quod intendit Ecclesia; vt si baptizent, habeant intentionem regenerandi Hominem in Christo; si celebrent Sacrificium Missæ, intendant consecrare Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, & ità in similibus, ita vt habeant intentionem perficiendi tale Sacramentum, & id quod Christus instituit, & intendit Ecclesia.

In Sacramentorum administratione Ministri semper induantur superpelliceo, & stola illius coloris, quem Sacramenti Ritus exposcit, nisi in Sacramento Pænitentiæ ministrando necessitas aliud suadeat.

Ad susceptionem Sacramentorum non patiantur accedere quemquam nisi armis priùs depositis; & ità pariter seruari faciant à Compatribus

Baptiſmi, & Confirmationis.

Caueant in adminiſtratione, & confectione Sacramentorum adeſſe Excommunicatos, Hæreticos, & Infideles.

Exigentes pro adminiſtratione Sacramentorum aliquid præter id, quod de Iure debetur ratione Officij, vel laudabilis Conſuetudinis, & quid etiam minimum pro Sacramento Pænitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis, etiam directè, vel indirectè petentes, arbitratu noſtro puniantur.

Curati culpantes decedere filianos ſine Sacramentis pæna ſuſpenſionis biennalis à Cura, & alijs arbitrio mulctentur.

Sacramentalibus, aut materia Sacramentorum ſub quouis prætextu etiam pietatis, vel deuotionis, aut pro curandis infirmitatibus, & eo magis pro ſuperſtitionibus nemo abutatur, ſub pæna excommunicationis ipſo facto, & alijs arbitrio noſtro.

Olea Sacra, Sal benedictum, & alia Sacramentalia laicis dantes pænam Carceris, & alias arbitrio noſtro luent.

De Sacramento Baptiſmi.

BAPTISMI Sacramentum eſt primum, & ianua omnium Sacramentorum, & ex eo propriè procedit iuſtificatio, quæ eſt translatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, quæ quidem translatio ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt NISI QVIS RENATVS FVERIT EX AQVA, ET SPIRITV SANCTO NON POTEST INTROIRE IN REGNVM DEI.

Itaque Parochus diligenter curet, vt quam primum, vel ſaltem infrà tres dies pueri, ſeù infantes nati ad lauacrum regenerationis, & fontem baptiſmi ducantur, & hortentur Parentes vt Sanctorum nomina baptizandis imponant.

Ad baptizandum non admittatur niſi Parochus, & ſi fortè ſit impeditus admittatur Sacerdos cum licentia noſtra, vel ipſius Parochi.

Vbi verò caſus neceſſitatis, & vitæ periculum immineat admittantur ad baptizandum tùm Ma-

res, tùm fæminæ, si tamen non sit præsens Sacerdos, vel Clericus, quià tunc Sacerdos, vel Clericus est præferendus, sicut pariter præferatur vir mulieri, & semper dignior siuè in ordine, siuè in sexu, siuè in ætate, minùs digno.

Cum verò sępiùs contingat huiusmodi necessitas, & vitæ periculum, quo casu Obstetrices, baptizare consueuerunt; idcircò mandamus sub pœna excommunicationis alijsque arbitrio nostro &c. omnibus, & singulis Parochis, & Curatis vt diligenter inquirant si dictæ obstetrices sciant verba, quæ pro forma ad baptizandum requiruntur; & post examen diligenter factum si casu eas ignorare reperierint, omninò, sub pæna excommunicationis de mandato nostro eis prohibeant donec instruantur.

Si verò à dictis Obstericibus, vel alijs in casu necessitatis baptizatus mortis periculum euaserit ad Ecclesiam quam primum adducatur, vt exorcismus, Cathechismus, Præces, atque aliæ Cęremoniæ suppleantur.

Et vt grauissimus error iterum baptizandi euitetur præcipimus sub pænis arbitrio, &c. omnibus, & singulis Parochis, vt antequam Ritus, & cæremonias baptizandi incipiant benè informentur à Parentibus, seu Domesticis, an infans baptizandus sit aliquo pacto alias baptizatus.

Et

Et quatenus baptiſmus reuocetur in dubium ſub conditione baptizent nempè, SI NON ES BAPTIZATVS EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. AMEN, SED SI ES BAPTIZATVS EGO TE BENEDICO.

Ceſſante caſu neceſſitatis ad priuatas Domus nullo modo baptiſmus conferatur, ſed ſolummodò in Eccleſia Parochiali ſub pæna ducatorum Quinquaginta locis pijs arbitrio, &c.

Et Curati iniungant Parentibus Baptizati, vt infantem per annum integrum in ſuomet lecto vna cum ipſis dormire non faciant; & quatenus contrafecerint, & ſubſequatur Pueri ſuffocatio ipſo facto excommunicationem incurrant.

Non recipiantur niſi vnus Patrinus, & vna Matrina, ità vt ſint duo tantum Vir, & Fæmina iuxtà diſpoſitionem Sacri Concilij Tridentini.

Expoſiti Infantes ſine ſchedula Baptiſmi reperti, vel cum ſchedula, ſi re diligenter perquiſita non conſtet eſſe baptizatos, ſub conditione baptizentur, iuxtà formam ſuprà præſcriptam; Sic etiam quando eſt dubium an infans viuat vel nè, aut ſi monſtrum ſit, & dubitatur an habeat animam rationalem.

Suſceptor eius qui Domi baptizatus eſt, idem

ſit,

ſit, quando baptizatus ad Eccleſiam ad cæremonias explendas deferatur.

In omnibus Parochialibus, & Curatis Eccleſijs in loco competenti adſit fons baptiſmalis, ex lapide marmoreo decenter fabrefactus, & aptus ad retinendam aquam, ità vt foris nullo modo effluat.

Idem fons à parte ſuperiori claudatur ligno nuceo, vel alio ſimili, vt non facilè corrumpatur, à parte verò interiori idem lignum tegatur ſerico albo.

Intus adſit nauicula argentea, cum qua effundatur aqua ſuper capita baptizandorum.

Vaſcula pariter in quibus cuſtoditur Sanctum Oleum Chriſmatis, & cathecumenorum ſint argentea ſi commodè fieri poſſit, ſin minus ſint ſtamnea, & claudantur bombice, & omnia nitida, & munda cuſtodiantur.

Aqua verò eiuſdem fontis baptiſmalis bis in anno benedicatur, & renouetur, nempè die Sabbati Sancti, & in Vigilia Pentecoſtes de more Eccleſiæ.

Sacrarium ſit propè fontem, mundum, profundum, & claue ſemper occulſum.

De

De Sacramento Confirmationis.

POST Baptismum inter Sacramenta nouæ legis secundum in ordine est Confirmatio, conferens caracterem in signum militiæ Christi, ideòque vlla vnquam ratione iterari possit.

Pueri antè vsum rationis ad confirmandum non afferantur; Adulti verò prius confiteantur sua peccata Sacerdoti approbato.

Munus ministrandi hoc Sacramentum solius est Episcopi.

Patrini confirmandorum sint ipsi confirmati, non excommunicati, Interdicti fidei rudimenta ignorantes, qui in Paschate non communicauerint, Regulares, nec consanguinei in primo gradu, cum in hoc Sacramento contrahatur affinitas spiritualis sicut in Baptismo.

Vnus tantum Compater admittatur, & vnus quisque sui sexus, nempè fæmina fæminam, masculus marem suscipiat, & scribantur in libro nomina Confirmatorum, & compatrum,

ſiue Commatrum cum die menſe, & anno; Cęteraque obſeruentur, quæ in Pontificali Romano notata ſunt.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PÆNITENTIA eſt Sacramentum reconciliationis Hominis cum Deo poſt Baptiſmum lapſi in culpam grauem, quod Sacramentum neceſſarium eſt ex inſtitutione Chriſti neceſſitate medij, & præcepti; nam quamuis Peccator iuſtificari poſſit per actum contritionis, tamen non liberatur ab obligatione confitendi, & contritio includit Confeſſionem in Voto, confitendi tempore debito, nempè antè ſumptionem Euchariſtiæ, aut in articulo mortis data opportunitate.

Exquirant Confeſſarij à mulieribus, & Ruſticis an contritionis, vel attritionis actum formauerint, & ſi non egerint excitent in eis antè impartitionem abſolutionis actum Contritionis, nempè doloris ſuper omnia de offenſa Dei ſummi boni ſuper omnia amabilis, vel ſaltem actum attritionis, ſcilicet doloris ex timore pænarum Inferni, ſeù ammiſſionis Paradiſi, aut ingratitu-

dinis ergà Deum datorem omnium bonorum, cum proposito de cætero non peccandi.

Præcipimus igitur vt nullus Sacerdos qui Parochialem Ecclesiam, ac animarum curam non habet siuè sæcularis, siuè Regularis confessiones audire præsumat, nisi à nobis, vel nostro Generali Vicario præuio diligenti examine, ac viso prius si sit probatæ Vitæ, & conditionis fuerit approbatus, & si Regulares sint habeant suorum superiorum litteras.

Non audiantur Confessiones nisi in Ecclesijs ianuis apertis, & patentibus, neque antè auroram, nec post Solis occasum, neque in priuatis domibus nisi in casu infirmitatis, vel notoriæ necessitatis.

Audiantur præterea in sedibus confessionalibus, quas in qualibet Ecclesia in locis conspicuis disponi præcipimus; neque de facie ad faciem, sed media crate ferrea.

Caueant Confessarij aliquo verbo, aut signo, aut alio quouis modo peccata prodire, & sigillum Confessionis frangere sub pęna depositionis à Sacerdotali officio, perpetui carceris, & ducatorum bis centum.

Mandamus omnibus Confessarijs tam sæcularibus, quam Regularibus, qui nouerint pænitentes sollicitatos in confessione vt eos admo-

neant

neant de obligatione denuntiandi nobis confeſſarios cuiuſuis ordinis , tam Sæcularis , quam Regularis qui in actu Sacramentalis Confeſſionis, etiam confeſſione, & abſolutione non ſequuta, ad turpia ſollecitarunt, vel cum eis habuerunt inhoneſtos ſermones, & ſi forſan conſenſiſſent ſollecitantibus, eos certos faciant, vt ſimpliciter denuntient ſe ſollicitatos, nec vllo ſe vnquam tempore publicandos; Et ſi hoc Officium prætermiſerint, ſeu pænitentes docuerint non teneri ad denuntiandum punientur ſeruata forma Bullæ Gregorij XV.

Confeſſarij pænitentias pecuniarias ſibi applicandas , aut ab ipſis diſtribuendas , pænitentibus non imponant, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti ; Quod etiam prohibemus in Miſſis pro pænitentia iniunctis , vt omnis turpis lucri ſuſpitio ceſſet. Qui contrafecerit ab audiendis confeſſionibus donec prædicta reſtituerit eo ipſo ſuſpenſus exiſtat, grauius etiam arbitrio noſtro puniendus.

Sciant cuncti etiam Regulares à nobis ad audiendas Confeſſiones approbati, fas illis non eſſe quorumcumque Priuilegiorum prætextu in caſibus nobis reſeruatis ſine noſtra ſpeciali licentia abſoluere, niſi in mortis articulo, ſub pæna excommunicationis latæ Sententiæ, priuationis Of-

ficiorum, Dignitatum, ac Beneficiorum, & inhabilitatis ad quęcumque beneficia obtinenda, ipso facto, absque alia declaratione; super quibus à nemine, nisi à Summo Pontifice Dispensatio, absolutio, & habilitatio impetrari potest, iuxtà Decretum Sacræ Congregationis Concilij de mandato Fælic. Record. Cleme. PP. VIII. die 26. Nouembris 1602.

Casus reseruati quibus annexa est Excommunicatio latę sententię.

I. HOMICIDIVM voluntarium committens siuè per se, siuè per alium, & eis præstantes auxilium, consilium, & fauorem.

II. Procurantes abortum fætus animati effectu tamen sequuto.

III. Blasphemantes Deum, Beatam Virginem, vel sanctos ex praua consuetudine.

IV. Falsum testimonium in iudicio deponentes, & ad idem inducentes consilio, vel opera.

V. Committentes veneficia, ſortilegia, incantationes, faſcinationes, ligaturas cum expreſſa Dæmonis inuocatione, & eamdem adhibentes in ſoluendis maleficijs.

VI. Abutentes per ſe, vel per alium Sacramentis, & Sacramentalibus, aut quacumque re Sacra, in diuinationibus, ſortilegijs, maleficijs, & quacumque alia re illicita; Item dantes huiuſmodi res Sacras, etiam effectu non ſequuto.

VII. Decimas noſtræ menſæ debitas non ſoluentes, & fraudantes.

VIII. Manus violentas inijcientes in Clericos.
Declarantes quod abſolutiones ab omnibus excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis à nobis inflictis, nobis tantum modò ſunt reſeruatæ.

Casus reseruati quibus annexa non est excommunicatio.

I. PVBLICI concubinarij siuè masculi, siuè mulieres.

II. Vsurarij publici, & Notarij contractus vsurarios conficientes.

III. Incestuosi in primo, vel in secundò gradu consanguinitatis, vel affinitatis, vel cognationis spiritualis, & filiationis ex Sacramento pænitentiæ contractæ quò ad virum tantum.

IV. Sodomiam exercentes, & cum Brutis coheuntes.

V. Sponsi, & Sponsæ ante benedictionem Parochi rem simul habentes.

VI. Incendiarij frugum, & arborum frugiferarum.

VII. Adulterantes Scripturas, & in Iudicium eas proferentes.

VIII. Occultantes, vel non soluentes legata pia, & amouentes aliorum animos ab ijs

constituendis, peruertentes vltimas testantium voluntates.

DE SANCTISSIMO Eucharistiæ Sacramento.

AVGVSTISSIMVM Eucharistiæ Sacramentum, quo nihil dignius, nihil admirabilius habet Sancta mater Ecclesia, quià Christum continet gratiarum omnium fontem vberrimum, in ordine cuius Sacramenti tot, & tanta miracula inclusit Deus, vt in ipso omnium mirabilium suorum memoriam renouasse videatur; vndè Misterium Fidei dicitur. Proindè Curati diebus Festis Populum hortentur vt sine peccatorum labe Sacramentum istud frequenter suscipiat, & præsertim in Festis maioribus, & Beatæ MARIÆ Virginis, & reuerentiam præstandam huic Sacramento edoceant, hortantes, quod quando Equo, vel curru aliquis vectus huic Sacramento occurrerit, statim descendat, & flexis vtrisque genibus DEVM suum, & Dominum reuerenter adoret.

Asser-

Aſſeruetur intrà Cuſtodiam conuenientis magnitudinis expolitam, vndique argento, & auro ornatam, Conopeo ſerico albo, vel alterius coloris, iuxtà Ritum Eccleſiæ foris opertam; panno ſerico, cum mundo corporali ſtrato in ima parte intus veſtitam, & oſtiolum ſit benè clauſum, & habeat clauem auratam, vel argenteam, quæ funiculo appenſa cuſtodiatur, & ſit penes Curatos; & antè Euchariſtiam ſemper ardeat lampas cum oleo oliuarum.

Parochiales habeant duas Pyxides, aliam conuenientis magnitudinis pro miniſtrando Sacramento intus Eccleſiam, quæ conſtet ex argento, & lita ſit ex auro intus, pes autem ſimiliter ſit auro contectus, Altera ſit pro Communione infirmorum argentea, intus deaurata, quæ operculo benè claudatur; vt in eundo, & redeundo Sacræ particulæ cadere non poſſint; Et omnes Parochi de illis prouideantur, ſub pæna ducatorum Vigintiquinque infrà duos menſes; & cum ad infirmos defertur includatur in Burſa decenter ornata, & ad collum appenſa, & funiculis ſericis hinc indè pendentibus ad pectus alligetur.

Arceantur à ſuſceptione huius Sacramenti publici Concubinarij, Vſurarij, capitales inimicitias exercentes, Meretrices, Coniuges ſeparati

ſine Eccleſiæ iudicio, Amentes, & Pueri huius miſterij ignari.

Deferatur ad infirmos ſub decenti Baldachino habeantque Curati deferentes velum, quod humeros, & Pyxidem contegat, plures deferant particulas, & curent prius conuocare ad ſonum Campanæ Sacerdotes, Clericos, & Populum, cum quatuor faculis accenſis incedant, vel cum duabus Lanternis, & duabus faculis, & aduertant an infirmus vomitus infirmitate laboret, antequam illi conferant, quo caſu abſtineant, & differant.

Reſplendeant ſaltem duodecim lumina cum publicè exponitur, & aliqui orantes ſemper aſſiſtant. Dum verò miniſtratur Populo adſint in Altare ſaltem duæ candelæ accenſæ in candelabris, & duo Clerici aſſiſtant cum duabus candelis accenſis, vel ſaltem vna, iuxtà Eccleſiæ facultates, & habeatur Vas decens, & mundum, quo præbeatur purificatio poſtquam communicauerint.

Curent prætereà vt in Domo, ſeù Cubiculo Infirmi cui deferatur, menſa decens cum luminibus ponatur ad effectum, vt donec infirmus reconcilietur, vel preces dicantur, Sacramentum in ea reponi poſſit.

Pari modo cum Sanctiſſimum Sacramentum in

feria V. Cænæ Domini conditur, curent, vt locus prætiosioribus quam fieri possit ornamentis ornetur, & extent lampades, & luminaria accensa.

De Celebratione Missarum.

SACROSANCTVM Missæ Sacrificium, vt omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur maxima est cura adhibenda; nullum enim aliud opus adeò Sanctum, ac diuinum à Christi fidelibus tractari potest, quam hoc ipsum tremendum, misterium, quo viuifica illa hostia, qua DEO patri reconciliati sumus, in Altare per Sacerdotes quotidie immolatur.

Ideò curent omninò Sacerdotes vt cum ad celebrandum accedunt præuia confessione Sacramentali, ac expiata conscientia Sacerdotalibus vestimentis induti ad Altare se conferant.

A' sacrario ad Altare incedant omni qua decet grauitate, modestia, & oculis demissis, vt deuotionem fidelibus augeant, & in animos astantium venerationem inijciant.

Plures eodem tempore Sacerdotes ad celebrationem Missarum non exeant, sed vnus post

alium, aliquo dato interuallo pro Populi Commoditate.

In Altare dum celebratur extet Sanctissima Crux, & duæ candelæ accensæ si Missæ sint priuatæ; In Missis verò solemnibus quatuor reluceant candelæ in Cathedralibus, Collegiatis, ac in alijs Parochialibus, si fieri possit.

Nullus Sacerdos nouissimè promotus sine nostra licentia Missas audeat celebrare, nisi prȩuio examine cæremonias, ac Ritus Ecclesiæ à nobis, vel nostro Generali Vicario didicisse cognoscatur.

Parochi exteros Sacerdotes non admittant ad celebrandum in eorum Ecclesijs, nisi ostensis litteris commendatitijs, à nobis licentiam obtinuerint, vel à nostris Vicarijs foraneis, sub pȩna ducatorum Viginti. Idemque de Regularibus mandamus.

Omnes habeant purificatoria munda, cum Cruce in medio; latitudinis, & longitudinis vnius palmi ad minus, & manutergium separatum duorum palmorum, sub pæna trium librarum Cæræ albæ; Monentes quod non vtantur manutergio ad emungendas nares, sed sudariolo separato.

Aduertant antequam induantur vestibus Sacerdotalibus renouare intentionem consacrandi Corpus, & Sanguinem Iesu Christi.

Missam Anniuersarij Consecrationis Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Antistis in Cathedrali, & alijs Parochialibus Ecclesijs singulis annis solemniter celebrari mandamus iuxtà cæremoniale in die septimo mensis Iunij sub pęna librarum vigintiquinque cæræ albæ.

Noua onera Missarum non recipiantur absque nostro Decreto gratis concedendo sub pæna interdicti seruata forma Decretorum Sacræ Congregationis.

DE SACRAMENTO
Extremæ Vnctionis.

POST Vnctiones quæ homini viatori conferuntur in Baptismo, Confirmatione, & Sacerdotio, postrema est in hoc Sacramento, quod confertur versanti in extremis; Monemus ideò Curatos quod edoceant filianos vtilitatem, & effectum extremæ vnctionis; quod scilicet prædicta vnctio peccati reliquias abstergit, ęgroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo Diuinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus

ſubleuatus, & morbi incommoda leuius fert, & tentationibus Demonis facilius reſiſtit, & ſanitatem Corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

Diligentes ſint Curati in adminiſtrando hoc Sacramento iuxtà Rituale Romanum, & ægrotis ſenſu, & vſu rationis vigentibus deferant, & adminiſtrent, non autem conferant impuberibus, & vſum rationis non habentibus, neque impænitentibus, & ijs qui cum notorij peccatores eſſent, nullum pænitentiæ ſignum emiſerint, neque vltimo ſupplicio condemnatis, nec pluries in eadem infirmitate.

Si aliquis morbi vi, vel aliquo repentino morbo correptus ſenſum ammiſerit, ſi hanc Sacram vnctionem dum vſum rationis habebat petierit, vel ea pietatis ſigna dederit, ex quibus facilè iudicetur, ſi mentis adhuc eſſet compos Sacramentum hoc petiturum, inungi poterit.

Curati infirmi ſtatum perquirant, & ſi periculum Vitæ adeſſe non cognoſcant ab vnctione abſtineant.

Oleum conſeruetur in vaſo argenteo, vel ſaltem ſtamneo in loco decenti; & cum ad infirmum defertur ſit Parochus ſuperpelliceo, & ſtola indutus cum Clerico, & lumine, illudque in ſerica burſa deferat, diligenterque, ac

promptè exibeat quandocumque petatur, etiam nocte.

Dum autem verba illa pronunciat, PER ISTAM SANCTAM VNCTIONEM, ET SVAM PIISSIMAM MISERICORDIAM PARCAT TIBI DOMINVS QVICQVID PER VISVM DELIQVISTI, eodem tempore, & non ante, vel post, idem ipse, & non alius oculos inungat, quod etiam seruet in alijs corporis partibus. Renum autem vnctio, quià ad huius Sacramenti essentiam necessaria non est in Mulieribus omittendam ducimus, pro vt etiam habetur in Rituali Romano. In viris autem adhiberi poterit, si per infirmitatem licuerit; Bombix verò qua infirmus tergitur in Sacrario comburantur.

Si ægrotum Parochus in mortis periculo videat omissis precationibus, quæ in Rituali Romano habentur singulas corporis partes cum præscripta verborum forma perungat, eo autem adhuc superstite, omissæ precationes adhibeantur; Si autem in Sacra vnctione peragenda ægrotus obierit, desistat, si verò dubitetur an efflauerit animam tunc Parochus ea conditione vtatur SI ES VIVVS PER ISTAM SANCTAM VNCTIONEM &c.

Curati in commendatione animæ Agonizantium quantum fieri poteſt ſemper aſſiſtant, & prædicta diligenter obſeruent, alias arbitratu noſtro punientur.

DE SACRAMENTO Ordinis.

ORDO eſt Sacramentum nouæ legis, quo homines aliqui in Dei miniſterium ſpirituali poteſtate tradita, deputantur; & eſt Sacramentum neceſſarium totæ Eccleſiæ, quià cætera Sacramenta ab illo ità pendent, vt partim confici, & miniſtrari ſine eo non poſſint.

Proindè Parochi ſæpè ſępius explicent effectus huius Sacramenti, vt intelligant fideles, qui in Eccleſiaſticum Ordinem cooptari volunt ad quodnam Officij genus vocentur, quantaque ipſi Eccleſiæ, eiuſque miniſtris facultas tributa ſit.

Quò verò ad requiſita, & qualitates ordinandorum exequantur, & obſeruentur ea om-

nia, quæ à Sacro Concilio Tridentino, & Sacra Cardinalium Congregatione eiusdem Concilij Interpretum decreta, & dispoſita ſunt.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

MATRIMONII Sacramentum præter gratiæ ſanctificantis augmentum confert donum gratiæ ad perficiendum amorem coniugalem, fidelem cohabitationem, indiſſolubilem vnitatem inter Coniuges, & rectam Prolis educationem, & eſt Sacramentum exiſtentium in gratia; Vndè Curati moneant Sponſos, vt antequam contrahant, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, piè accedant, nè grauiter peccent in ſuſcipiendo indignè hoc Sacramento.

Antequam Matrimonium contrahatur tribus diebus continuis feſtiuis Parochi inter Miſſarum ſolemnia publicè denuntient perſonas, inter quas matrimonium ſit contrahendum, & hoc fiat tam in Viri, quam in fęminæ Parochia, &

inquirant quales ſint de quorum contractu agitur, an habeant legitimam ætatem, vel aliquo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu ſint inter ſe coniuncti.

Vbi ſponſalia nulla præceſſerunt, publicæ honeſtatis impedimentum à Sacro Concilio Tridentino ſublatum eſt, vbi verò valida fuerunt, primum gradum non excedit; Impedimentum verò affinitatis ex fornicatione contractæ ad primum, & ſecundum gradum tantum eſt reſtrictum.

Oppoſito quocumque impedimento Curati non iungant Sponſos, ſub pæna excommunicationis ipſo facto, & alijs arbitrio noſtro; Reuelationes autem in ſcriptis recipiant cum ſubſcriptione reuelantis, vel in prẹſentia duorum teſtium ſi reuelans ſit illiteratus.

Curati omittentes denuntiationes, etiam vnam ex eis ſine noſtra licentia, pẹna ſuſpenſionis ab eorum cura ſeruata forma Concilij Tridentini, & alijs arbitrio noſtro plectantur.

Matrimonium non celebrẹtur eadem die, qua fit vltima denuntiatio, ſed poſt ſequentem diem; nec Matrimonium celebretur de nocte nobis inconſultis.

Quoties ob grauem cauſam antè denuntiationes Matrimonium celebrandum iudicabimus,

moneantur Coniuges vt omninò ab vſu matrimonij, carnalique copula, abſtineant, donec omnes habitæ ſint denuntiationes, nè ſi aliquod impedimentum poſteà ſubſit, matrimonium cum graui ſcandalo dirimere oporteat.

Deferentes falſum impedimentum pręter alias pęnas à Iure ſtatutas contrà falſarios anathematizamus ipſo facto.

Si infrà duorum menſium ſpatium à die vltimæ denuntiationis factæ matrimonium ex aliqua cauſa non fuerit celebratum, tunc denuò trinæ denuntiationes habeantur, niſi aliter nobis videbitur.

Sponſalia contracta partes abſque decreto noſtro nullo modo diſſoluant, nec etiam cum altera contrahendo, ſub pęna excommunicationis, & alijs arbitrio; Quam pænam incurrant etiam, qui poſt matrimonium ratum, & conſumatum ſe inuicem ſeparare præſumpſerint.

Domi non contrahatur Matrimonium ſine noſtra in ſcriptis licentia, ſub pæna ducatorum Viginti contrà Curatos iungentes extrà Parochialem Eccleſiam.

Compellentes vi, aut dolo Parochum ad aſſiſtendum Matrimonio, Conſilium, aut auxilium, quomodocumque præſtantes pæna excommunicationis, ipſo facto puniantur.

Contrahen-

Contrahentes Matrimonia clandeſtina, vel ſine Parocho, vel ſine Teſtibus, & aſſiſtentes in eis eamdem ſupradictam excommunicationem incurrere declaramus; & Curati ipſos poſteà non iungant ſine noſtro decreto, ſub pæna ſuſpenſionis, & alijs arbitrio noſtro.

Vagantium, ſeù exterorum, etiam ſi eorum alter incola ſit, & alter exterus matrimonia non celebrentur niſi de licentia noſtra ſpeciali in ſcriptis, capta prius informatione iuxtà litteras Sacræ Congregationis Vniuerſalis, & Generalis Inquiſitionis, ſub pæna excommunicationis, & ducatorum Centum, alijſque arbitrio, &c.

Ex diuturna Coniugum abſentia, aut ex vulgi rumore, vel alijs mortis coniecturis vir, vel Vxor nullo modo aliud Matrimonium contrahat, niſi mortis habita certa notitia, de qua in Curia noſtra iuxta ſupradictum ordinem Sacræ Congregationis legitimè doceat, & contrahendi licentiam obtineat, ſub excommunicationis pæna.

Quia in eo ſepè delinquitur, vt antequam Matrimonium coram Parocho, & Teſtibus ritè celebratum ſit Sponſi carnali copula ſe inuicem commiſceant. ex quo grauia ſolent oriri ſcandala, ſic ſe commiſcentium

absolutionem nobis reseruamus.

Sponsa non inducatur ad Ecclesiam cum instrumentis Musicis, & maximè non fiat sonitus instrumentorum in Ecclesijs sub pæna ducatorum decem, & in subsidium excommunicationis, & Curati permittentes eadem pœna puniantur.

De Quadragesima, & Obseruatione Ieiunij.

NEMO ignorat, quòd omnes toto quadragesimali tempore à carnibus, ouibus, & lacticinijs abstineri iubemur, & etiam vnica tantum commestione contentos esse, cum exiguo ientaculo in vespere, dominicis diebus tantum exceptis, sub pęna peccati mortalis; ad quod etiam obligamur in quatuor anni temporibus, præceptisque Sanctorum vigilijs; Vndè Parochi moneant Populum, vt caueat à cibis vetitis, & obseruet ieiunia, & cum ieiunio à peccatis abstineat, & præcipuè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sæpè sumat, totumque id sacrum tempus in ieiunijs, orationibus, & elemosinis consumat,

quo

quo peccatorum ſuorum miſericordiam à Deo facilius conſequatur.

Ab ieiunij lege ij tantum excipiuntur, qui vel vrgenti neceſſitate, vel imbecilli ætate, morbouè aliquo, aliauè iuſta cauſa impediti ſunt; Quibus tamen caſibus nulli liceat veſci carnibus niſi præuia Medici fide, & licentia noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij, vel prȩuia fide Parochi vbi non adſit Medicus, & vrgeat præciſa neceſſitas.

Caueant Medici, ſiuè Parochi vetitos permittere cibos, niſi ex neceſſitate, & in ſcriptis; in quo eorum conſcientiam oneramus; declarantes tamdiù durare licentiam, quamdiù infirmitas vigeat.

Prohibemus ſub pȩna librarum viginti ceræ albæ, alijſque arbitrio noſtro infligendis, ne dicto quadrageſimali tempore, alijſque Ieiunij temporibus carnes, aliaque vetita publicè vendantur, vel emantur, niſi præuia noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij in ſcriptis licentia, & cum oſtiolo tantum aperto, neque vendatur omne carnis genus, niſi quod vſui ægrotorum eſt neceſſarium.

Ordinamus Cauponibus, & Tabernarijs ne ſupradicto tempore cibos vetitos Viatoribus, alijſque Perſonis apponant, neque coctos aliun-

dè de-

dè deferre patiantur sub pæna prædicta.

Comunitates excipiant Concionatores à nobis Deputatos, & illis consuetam persoluant elemosinam debitis temporibus sub pæna interdicti.

Statuimus quod Concionis tempore omnes officinæ claudantur, vt frequentior sit Populus in Ecclesijs.

Canonici, Sacerdotes, & Clerici omnes concionibus intersint quadragesimalibus frequentissimè, cum in eos tanquam speculum Populus oculos conijciat, ex ijsque sumit, quod imitetur.

De Bonis Ecclesiæ non alienandis, nec vsurpandis.

BONA Ecclesiastica sunt Patrimonium Iesu Christi, & Pauperum, quorum procurationem personæ Ecclesiasticæ gerunt; Idcircò prohibemus omninò illorum alienationem, donationem, commutationem, aut in emphyteusim concessionem, & locationem vltrà triennium, sub pęnis à Sa-

cris canonibus, & à Sacro Concilio Tridentino inflictis; mandantes Curatis, vt in eorum Ecclesijs prædictas Censuras, & præcipuè decretum Sacri Concilij Tridentini sess. 22. cap. 11. contrà bonorum Ecclesiasticorum vsurpatores singulis annis die octauo Paschatis vulgari sermone Populo patefaciant.

Excommunicamus omnes, & quoscumque occupatores, & detinentes Ecclesiæ nostræ Anglonensis, & nostræ Episcopalis mensæ, & aliarum Ecclesiarum inuentaria, acta, Instrumenta, publicas, & priuatas Scripturas, ac Processus ad dictam Eeclesiam Anglonensem, nostram mensam, & Curiam, vel ad quascumque Ecclesias pertinentes; Et ità pariter excommunicamus eos qui amouerint terminos, seù confines bonorum redditiorum feudi nostræ Ecclesiæ Anglonensis; Prædictamque penam excommunicationis infligimus, contrà scientes huiusmodi occupatores, & amotores, & illos non reuelantes, quorum absolutionem nobis reseruamus.

Rectores, Capitula, Confraternitates, Beneficiati, Montes, & loci Pij infrà duos menses à die publicationis præsentis Synodi inquirant fines, & quantitatem omnium, & singulorum bonorum Ecclesiæ aliorumque piorum locorum, & conficiant Inuentarium in quo bo-

na, cum

na, cum confinibus deſcribantur, & exemplum ad nos tranſmittant ſub pæna ducatorum viginti.

Quoniam in generali noſtra viſitatione comperimus aliquos ſub prætextu quod beneficia ſint de eorum Iure patronatus, & quod de dictis beneficijs poſt vacationem non ſit facta prouiſio, detinere eiuſdem beneficij bona, & ipſoſmet inſeruire facere oneri Miſſarum celebrandarum.

Quod cum abſurdum, & contrà diſpoſitionem Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini nobis ſit viſum, mandamus proindè ſub pæna excommunicationis latæ Sententiæ omnibus, & ſingulis dicta bona prædicto prętextu detinentibus, vt intrà menſem poſt publicationem præſentis Synodi relaxare, & dimittere debeant in manibus, & poteſtate Capituli, vel Parochorum.

Quæ Capitula, & Curati teneantur diligentiſſimè perquirere dictos Laicos, vt ſupradicta bona reſtituant infrà tempus, vt ſuprà ſtatutum, & nos certiores reddere de reſtitutione, & vacatione prædictorum Beneficiorum; Quod ſi negligant pænam ducatorum Quinquaginta locis pijs arbitrio, &c. incurrant.

Iniungimus Notarijs , sub pæna excommunicationis , vt infrà decem Dies denuntient nobis , siuè Vicarijs Foraneis locorum legata pia , Ecclesiarum Institutiones , & alias pias dispositiones de quibus ipsi fuerint rogati, ad obuiandum damnis, quæ Ecclesijs, alijsque locis pijs ex ignorantia causari possint , & Vicarij Foranei infrà octo dies teneantur nos de illis certiorare.

Possessores Bonorum , quæ Ecclesijs pro annuis redditibus sunt obnoxia, si ea alienant vt franca, vel si non exprimunt certum redditum, aut eum minuunt, ipso facto sint excommunicati; cui pænæ subiaceant Consulentes, & Notarij huiusmodi Instrumenta scienter conficientes . Quod etiam decretum Parochi in octaua Paschatis lingua vulgari publicent.

Excommunicamus omnes , & quoscumque qui furantur, & vsurpant Calices, Cruces, aliasque res cultui diuino deputatas.

Curati legata quæ pro tempore fient Ecclesijs in libro bonorum eiusdem , quam citius describant , vna cum Notario de scriptura rogato.

Mandamus etiam in Cathedrali , & Parochialibus Ecclesijs infra duos menses post publicationem præsentis Synodi fieri Archiuium

pro asseruandis scripturis, & Inuentarium bonorum Ecclesiasticorum, sub pæna ducatorum Vigintiquinque.

De Confraternitatibus, Hospitalibus, Montibus Charitatis, & alijs pijs locis, & eorum administratoribus.

BONA locorum piorum, quæ ad subleuandam Pauperum inopiam ex pia fidelium dispositione relicta sunt in visitatione comperimus, vel maximè negligi, vel in proprium vsum aliquos Deum non timentes conuertisse; Vndè mandamus omnibus, & singulis Administratoribus, seù officialibus quod nullo modo, sub pæna excommunicationis administrent, antequam iuramentum defideliter administrando coram nobis, vel nostris Vicarijs Foraneis præstiterint.

Decernimus quod complecto Officio vete-

res Officiales, seù administratores statim à continuatione administrationis desistant, nisi aliter nobis visum fuerit. Anticipatè in die consuetò eligantur noui Officiales; & casu quo exercere aliquis renuerit, statim nobis referatur, vt prouidere possimus.

Statuimus quod si controuersia oriatur in electione administratorum, vel Vota sint, ità confusa, vt electio impediatur, ad nos pro dicta Controuersia decidenda recurrant; prohibentes, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quòd pro causis prædictis Iudicem Sæcularem non adeant.

Obligamus omnes administratores piorum Locorum, vt rationem reddant, eorum administrationis singulis annis nobis, vel illis, qui à nobis fuerint deputati iuxtà dispositionem Sacri Concilij Tridentini.

Mandamus præsentibus administratoribus, sub pœna perpetuæ priuationis administrationis vt cum interuentu, & assistentia Parochi, vel Vicarij Foranei recognoscant, & adnotent omnia bona mobilia, & stabilia eorumque quantitates, & fines, & in libro, seù in Inuentario ad hunc effectum faciendo describant.

Declarantes omnia quæ decreuimus de bo-

nis Ecclesiæ non alienandis eadem obseruari debere in bonis Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum.

Summa frumenti, vel alterius rei deputatæ ad subleuandam pauperum inopiam, non detur mutuo pauperibus, nisi accepto æquiualenti pignore, vel præstita idonea cautione, & ad certum tempus; contrafacientes verò de proprio teneri mandamus, & arbitrio nostro punientur.

Implicatio capitalium Confraternitatum, & aliorum piorum locorum non fiat nisi per vota Secreta, & cum nostra, vel nostrorum Vicariorum Foraneorum in scriptis licentia, gratis concedenda. Nec bona superdictorum locorum piorum emant, vel conducant ipsimet administratores, sed conductio, & emptio fiant sub hasta, cum accentione candelæ, exceptis venditionibus quæ fient in Nundinis, sub pæna excommunicationis, & alijs arbitrio, &c.

Debitores locorum piorum, vel cum eis litigantes non eligantur Procuratores, & administratores illorum, sub pæna nullitatis, & alijs arbitrio nostro.

De Immunitate, & Libertate Ecclesiastica.

IMmunitas, & libertas Ecclesiastica est de Iure Diuino, & pluribus priuilegijs à Deo decreta; Idcircò monemus omnes vt Iura Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum neque directè, neque indirectè audeant violare sub Censuris Summo Pontifici reseruatis in Bulla Cœnæ Domini contentis, quam Bullam vulgari sermone quotannis in Feria Quinta maioris hebdomadæ à Curatis legi præcipimus.

Conantes extrahere Refugiatum à locis Sacris, etiam si non extraxerint excommunicamus.

Bannitos in Ecclesijs occidentes, compeditantes Refugiatos, mandantes Reos occidi in Ecclesijs, extrahentes sine licentia nostra Reum etiam non gaudentem Immunitate, armis in Ecclesia existentem expoliantes, anathematizamus.

Palatium nostrum, seu nostræ solitæ habitationis, quamuis distet ab Ecclesia vltrà XXXX. passus

est immune ; Quò circa excommunicamus extrahentes, vel extrahere conantes in illo confugiatos.

Offendentes Curiæ nostræ Officiales, Baiulos, Cursores, Cancellarios, Promotores fiscales, & alios de familia nostra anathematizamus; & si offendentes fuerint Clerici feriantur pæna ducatorum Centum, & Carceris arbitrio nostro.

Item excommunicamus omnes, & quascumque Personas quæ præsumpserint imponere onera, seù Collectas Colonis Prædia, & Agros Ecclesiæ Anglonensis, & aliarum Ecclesiarum colentibus, & ab eisdem Colonis dicta onera, & collectas exigere, eosque grauare ratione fructuum, quos ex prædijs, seù agris Ecclesię percipiunt in detrimentum, & præiudicium eiusdem Ecclesiæ, cum ex dicta collectarum impositione, & exactione Coloni duplicia onera sustinerent; tenerentur enim soluere pensionem, seù portionem Ecclesiæ, & aliam portionem ratione dictarum collectarum, & proindè à colendis dictis bonis retraherentur.

Excommunicamus etiam omnes, & quascumque Personas Ecclesiasticas, seù Sæcu'ares, quæ pro causis, tam Ciuilibus, quam Criminalibus ad Ecclesiam Anglonensem, &

consequentur ad nos , & nostrum forum Episcopale ratione territorij Anglonensis , vt supra pertinentibus , ad iudices , & Potestates Sæculares recurrere , & quærelas exponere , aut alias quouis modo gerere , præsumpserint.

Excommunicamus omnes , & quoscumque Iudices , Officiales , & Potestates Sæculares, quæ, seù qui, causas, tam Ciuiles, quàm Criminales, & vassalos territorij Anglonensis ad eamdem Ecclesiam Anglonensem, & consequenter ad nos, & nostrum forum Episcopale spectantes iuxtà concessionem Fedrici Secundi , & Regum Successorum ad forum Sæculare trahere, occupare, vsurpare, & in dictis causis procedere præsumpserint .

In Statutis generalibus Laicorum nunquam comprehendi Ecclesiasticas Personas , & bona Ecclesiarum iuxtà Sacros Canones, præsenti constitutione sancimus, abrogantes, & cancellantes omnia statuta, & consuetudines contra Iura; & bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum; Etiam in generali prohibitione , quòd Ciues Tursienses non accedant ad extera molendina non comprehendi molendinum nostræ Ecclesiæ Anglonensis; pro vt hodierni Electi , & Deputati Ciuitatis de nostro mandato deposuerunt & in Curia nostra testati sunt , & contrarium

Sentien-

Sentientes, aut prohibentes ipſo facto excommunicamus, & anathematizamus.

Si per Clericorum animalia damna inferantur ad damni tantum refectionem, non autem ad pænam, ſtatutis Laicorum inflictam, teneri præcipimus; Detinentes verò animalia, vel cogentes illorum Cuſtodes, ſeù Colonos ad pænæ ſolutionem excommunicamus, niſi Cuſtodes, & Coloni, de induſtria, ſeù dolosè damna dederint.

Excommunicamus etiam omnes, & quoſcumque Iudices, & Perſonas Seculares cuiuſuis conditionis, qui, ſeù quę indirectè præſumant carcerare, contrà bona exequi, pecunias, Gabellas, Datia, & Impoſitiones exigere, & alijs modis vexare Parentes, & Conſanguineos, ac affines Pręsbyterorum, Clericorum, & aliarum Perſonarum Eccleſiaſticarum pro cauſis quæ habentur, & prætenduntur cum dictis Præsbyteris, Clericis, & Perſonis Eccleſiaſticis.

Miniſtri Sæculares capientes Clericos in delictis repertos recto tramite ad noſtros Carceres, vel ad Vicarios Foraneos deferant, ſub pæna excommunicationis.

Declarantes ob noſtras huiuſmodi excommunicationes non releuari tranſgreſſores ab alijs cenſuris, & pænis à Iure, vel à ſummorum

Pontificum

Pontificum conſtitutionibus latis, ſed his etiam, & noſtrarum excommunicationum vinculis alligari.

De Quarta decedentium ab inteſtato, & Funeralium.

CVM in noſtra Diœceſi antiquiſſima vigeat Conſuetudo diſponendi ad pias cauſas de moderata quantitate decedentium ab inteſtato, quæ cum ſit rationabilis, vt eorum animæ aliquod habeant refrigerium, idcircò pro obſeruantia dictæ Conſuetudinis iniungimus Parochis vt tales ſic morientes nobis denuntient.

Inter decedentes ab inteſtato declaramus compræhendi etiam inhabiles ad teſtandum, pro vt filios familias, mutos, ſurdos, amentes, Impuberes, & his ſimiles.

Capitula, ſeù Procuratores Capitulorum reddentium, integram perſoluant Quartam funeralium Epiſcopali menſæ debitam,

Librorum conficiant, & quouis modo, vel quouis quæsito colore nihil subtrahant, vel diminuant, sub pæna suspensionis ipso facto; Cui pænæ subiaceant etiam Consulentes, & cooperantes.

De Decimis.

DECIMÆ tum Iure naturali, tum Iure Diuino, & Canonico Deo, eiusque Ecclesiæ debentur; ideò non sunt ferendi, qui varijs artibus decimas Ecclesiæ obuenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertunt.

Adhærentes itaque dispositioni Sacri Concilij Tridentini præcipimus omnibus cuiuscumque gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas Cathedrali, Parochiali, aut quibuscumque alijs Ecclesijs, aut personis, quibus legitimè debentur integrè persoluant.

Quamobrem Parochi, & Ecclesiarum Curati non denegent pro exigendis decimis Sacramentum Eucharistiæ, sub pæna Ducatorum

Triginta; nec filianos ſepultura priuent ob decimas non ſolutas, ſub eadem pœna, ſed tempore meſſium, & fructuum recolligendorum aduentante inter Miſſarum ſolemnia tribus diebus feſtiuis ad decimarum ſolutionem Populum hortentur; deindè contrà ſoluere recuſantes prævia noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia, & declaratione, & authoritate excommunicationis Sententiam proferant.

De Quæſtoribus.

QVÆSTORES mendacia de Reliquijs, & Indulgentijs confingentes, ad extorquendum elemoſinas, & pro alijs quæritantes ſine neceſſitate, vel ſibi quæſtum referentes, prorſus aboleuit Sacrum Concilium Tridentinum, & perſonæ, quæ elemoſinas colligere debent, non ſunt admittendæ, niſi honeſtæ vitæ, & ſpectatæ Religionis, & qui non publicent indulgentias, nec concionentur, nec circumferant ſua priuilegia; nec campanellam, aut ſimilia inſtrumenta pulſent, ſed ſimpliciter, & modeſtè recipiant tantum, quòd ipſis liberaliter offertur.

Regulares mendicantes ſi extrà loca vbi monaſteria exiſtunt quæritare voluerint, licentiam ſui Superioris nobis exhibeant, ſub pæna Carceris, alijſque noſtro arbitrio.

Nullus quæſtuare præſumat niſi ſit noſter Diœceſanus probatæ vitæ, & nobis pateat de neceſſitate Eccleſiarum, Hoſpitalis, aut alij loci pij, & cum licentia noſtra; Qui contrafecerit ſæuerè arbitrio noſtro punietur.

De Conſtitutionibus Synodalibus, & pęnis.

HAS Synodales Conſtitutiones ad Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam, & conſeruandam, & prauos mores extirpandos confecimus: admonemus omnes vt eas virtutis amore, non formidine pænæ ſeruent.

Et vt omnibus prius innoteſcant robur habere volumus tranſactis duobus Menſibus ab earum impreſſione, vel publicatione, & om-

nes arctent, ac si singulis intimatæ fuissent. Præcipientes vt Dignitates, Canonici, & alij de nostro Capitulo, ac Parochi, Rectores, Præpositi, Archipresbyteri, & beneficia obtinentes postquam impressæ fuerint (quod quam primum curabimus) infrà duos menses volumen apud se habere teneantur, sub pænis arbitrio nostro infligendis.

In delictis in quibus certas pænas constituimus, alijs ex Canonibus, & Tridentini Concilij statutis delinquentes coerceri posse volumus, & mandamus; vbi nulla est adiecta pæna, eam arbitratu nostro reseruamus.

Decreta, quibus excommunicationis pæna adiecta non est, volumus mortalis peccati reatum non inducere, nisi quatenus id communis legis dispositio, vel contemptus efficiat.

Omnia, & singula in Constitutionibus prædictis contenta Sanctæ Sedi Apostolicæ, & Beatissimo Romano Pontifici vniuersalis Ecclesiæ Pastori emendatura, atque correctura humiliter, & deuotè suponimus, & subijcimus; ità etiam firmitatem obtinere, & in suo robore vsque adeò per-

manere

manere volumus, donec per dictam Sanctam Sedem Apostolicam, & per dictum Beatissimum Pontificem fuerint reprobata.

Ambiguitates omnes, & dubia quæ oriri poterunt, nobis declaranda reseruamus; Nulli ergò cuiuscumque Dignitatis, & authoritatis sit, præsentes constitutiones, & Decreta liceat declarare, & interpetrare, sub pæna excommunicationis latæ sententiæ.

FORMVLA PROFESSIONIS FIDEI.

EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Cęli, & terræ visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei Vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt. Qui propter nos Homines, & propter nostram salutem descendit de Cęlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in Cælum sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius

Regni

Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, filioque procedit. Qui cum Patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam iuxtà eum Sensum, quem tenet, & tenuit Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpetratione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquam, nisi iuxtà vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpetrabor. Profiteor quoquè septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atquè ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque , & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita , & declarata fuerunt amplector , & recipio . Profiteor pariter in in Missa offerri Deo verum , proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in Sanctissimo Eucharistię Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem vna cum anima, & Diuinitate Domini Nostri Iesu Christi ; fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus , & totius substantiæ vini in Sanguinem: quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum Specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi . Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos , atque inuocandos esse , eosque orationes Deo pro nobis offerre: atque eorum reliquias esse venerandas . Firmiter assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliornm Sanctorum habendas,& retinendas esse, atque eis debitum honorem ,

ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano Populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco. Romano Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam Spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Æcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extrà quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & immaculatam vsque ad extremum Vitæ Spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque à meis Subditis, seù illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

DECRE-